



50



M. 2, 13.

h. M. II, 16.



M. 2,




DE PRINCIPUM, QUIBUS ELECTIO IMPERATORIS IN GERMANIA COMMENDATA EST
Origine, seu institutione, Liber unus:

SIMONIS SCHARDII J. C. ET
Imperialis Camerae adfessoris:

IN QUO RECENTIORUM QUORUNDAM sententia refutata, communis opinionis veritas defenditur.


EJUSDEM

ANAMNEZIS
juris quod in approbandis.



ARGENTORATI.
Impensis LAZARI ZETZNERI Bibliopol.

M. DC. VIII.



H
A
P
D
lo
&
A
M

gr
tio
in
re
ne
ru
tu
las
ess
re
ve
be
ca



REVERENDISSIMIS
AC ILLUSTRISSIMIS.
PRINCIPIBUS, AC DOMINIS: D.
DANIELI Moguntino, FRIDERICO Co-
loniensi, JOHANNI Trevirensi, Archiepiscopis,
&c. FRIDERICO Comiti Palatino Rheni, &c.
AUGUSTO Duci Saxoniz, &c. JOACHIMO
Marchioni Brandenburgensi, &c. Sacri Romanæ
Imperii Electoribus, &c. Dominis suis
clementissimis, S. P. D.



IRUM quibusdam hauddu-
bè videbitur, Reverendissimè
ac Illustrissimi Principes, Do-
mini clementissimi, quæ me cõ-
fidentia invaserit, quod Celsi-
tudines vestras in maximis ac
gravissimis Reipub. curis hac mea quasi allocu-
tione interpellare non erubescam: nec cogitem,
in neminem perinde atq; in me dici posse, nihil
referre, si ne planè inimicus, an importunè be-
nevolus. Sed si cui justæ causæ unquam fue-
runt, vestras reverendissimas ac illustriss. Celsi-
tudines compellandi, usq; suas lucubratiuncu-
las offerendi, eas mihi hoc tempore præ ceteris
esse censeo. Nam na commemorem, quanto pe-
re vel publicè intersit, ut cum alia scripta, tum
però Rempub. concernentia, ab his qui ad gu-
bernacula sedent, cognoscantur: vel etiam pri-
vatim expediatur, monumenta ingeniorum, auq;

EPISTOLA

toritate ac patrocinio Principum muniri: sanè
 quantulacunque sit hæc lucubratiuncula, quæ
 à me in lucem profertur, ob id præcipuè illustris-
 simis nominib. vestris inscribenda est visa, quòd
 pro assertione antiquæ originis, ac institutionis
 dignitatis vestræ amplissimæ, singulari quadam
 ejus observantia suscepta fuerit. Facile verò
 video, dum hæc dico, reverendissimis ac illustris-
 simis Celsitudinibus vestris occasione ejus scri-
 ptionis novam ac singularem videri posse. qua-
 re humillimè subjectissimèq; oro, ut vestræ, ex
 me, eam exposituro, benignè atque clementer
 eognoscere dignentur. De amplissimi collegii
 vestri Electoralis origine, jam multis seculis,
 communem authorum, præsertim Historicorū
 ac Chronographorum sententiam, reverendissi-
 mæ ac illustrissimæ Celsitudines vestræ obtinuis-
 se, benignè noverunt, eam authore Othone ter-
 tio Saxone Imperatore laudatissimo, annis ab-
 hinc quingentis sexaginta quinq; cœpisse, ita ut
 omnis Imperatoris creandi potestas penes ipsas,
 earumq; antecessores foelicissima memoria fue-
 rit. Qua quidem sententia, reverendissimi ac
 illustrissimi Principes, non solum collegii vestri
 amplissimi dignitas, ex antiquitate ejus auge-
 tur, & confirmatur: sed & divinæ voluntatis
 clementia erga id ostenditur. Quis etenim
 aliis Imperiorum ac Rerum publicarū fatalibus
 periodis consideratis, divinitus Aristocratici
 colle-

colle-
 det
 du
 pe
 ej
 cia
 na
 nu
 qu
 vi
 ni
 sta
 m
 di
 est
 m
 leg
 pro
 ac
 ve
 sit
 tig
 da
 de
 gu
 ris
 ta
 ph



DEDICATORIA.

collegii vestri formam conservatam esse non videt? *Ampla Persarum monarchia fuit: at ea ducentos annos vix attigit. Macedonum imperium magnis viribus Alexandri incipiens, post ejus mortem intra trecentos annos penitus concidit. Et Romanorum longè potentissima monarchia, post quadringentesimum quartum annum à Gotthis miserimè devastata est. alia quoque quamplurima regna florentissima, cum vix trecentesimo anno conscendissent, penitus collapsa fuere. Tanto itaque divinae Majestatis clementia erga Imperii Germanici formam major conspicitur, quanto ea ceteris Imperiis diuturnior stabiliorque fuit.*

Ac quidem omnes patriæ amantes, ut par est, hanc Dei misericordiam piis ac gratis animis agnoscunt, et antiquitatem amplissimi collegii Celsitudinum vestrarum, debito honore prosequuntur. At ut nulla ferè res tam certa ac indubitata est, quæ hujus seculi ingeniorum vel subtilitate, vel petulantia in dubium non sit revocata: sic et collegii vestri amplissimi antiqua institutio, paucis abhinc annis à quibusdam nostræ gentis hominibus in dubium trahi: deinde verò ab Onuphrio Panvinio fratre Augustiniano Italo, cognitione antiquitatis præ ceteris celebri, ita impeti et oppugnari cœpit, ut is non tantum ejus institutionem ad tempora Rodulphi Habspurgici redactam, ducentis septuaginta

EPISTOLA

na. annis recentiorem efficere conatus sit: sed eos qui tantam dignitatem Imperatoris eligendi in manibus reverendissimarum ac illustrissimarum Celsitudinum vestrarum collocatam permittant, nescio cuius insularit, qui hominis conatus quo spectarit, non meum est judicare. Sed cum multis, spe optima jam diu fui, fore, ut nonnulli gentis nostrae, qui historiae studiū profitentur, rerum patriarum amore ac studio inducti, novae huic opinioni, sub qua plures sententiae plerorumq; latere videntur, sese opponerent, nec eam ulterius grassari vel invalescere paterentur. Nam, si Plato in suo de Repub. Dialogo octavo sanxit, tutores civitatis diligenter curare debere, ne quid praeter ordinem a se datum, circa modos canendi à Musicis studio novitatis immutetur: quod ex sententia Daemonis existimavit, nusquam Musicae modos immutari absq; maxima legum civilium mutatione: quanto magis resisti oporteret opinionibus, quib. non saltem novitatis studiū, sed & labefactio dignitatis Magistratus amplissimi, ac dissipatio ordinis in Re. pub. quæri videtur?

Ceterum dum hi, qui id praeter ceteris possent, aliis occupantur, ac opinio Panviniana, non citra Germanorum reprehensionem hinc inde serpens diffunditur, viresq; eundo acquirit: furore qui magis amore quam iudicio inducti, me hortarentur, ad redarguendam Onuphriarum
senten-

DEDICATORIA.

sententiam. Etsi verò tantam historiarum ac antiquitatis cognitionem mihi minimè arrogarem, ut quid eximii in ea re me posse præstare considerem. Et neutiquam ignorarem, quàm gravem plerorumq; censuram subiturus essem, suscipiendo defensionem cause quæ ipsis deplorata videtur: tamen cum historiarum patriarum studium, scientiæ Juris semper jungendum esse duxerim, id et memoriæ præstantissimi Imperatoris Othonis tertii, et observantiæ erga amplissimum collegium Celsitudinum vestrarum, et amoris patriæ, à me deberi putavi, ne laborem refellendæ novæ sententiæ Panvinianæ, veteres patriæ constitutiones labefactantis, veteri Atheniensium exemplo vel solus suscipere horrescerem: quod non minus unumquemq; nostrum natura, quæ sanctum patriæ amorem omnibus indidit, ad defensionem legum ejus obliget, quam ipsos jusjurandum quo adolescentiam egressi astringebantur, se non minus solos quàm cum plurimis pro legibus patriæ dimicatu-
ros, nec permissuros ut a quoquam rescinderentur.

Perpicere jam reverendissimas ac illustrissimas Celsitudines vestras ex hac qualicunque narratiuncula credo, me non vel oculi abundantia, vel studio rei cuiuspiam novæ adinveniendæ, sed amore patriæ, ac observantiæ dignitatis Celsitudinum vestrarum, ad hanc lucubrati-

EPISTOLA DEDICATORIA.

vinculam adornandam inductum. Ac licet in
spem optimam veniam, hanc submissè obser-
vantiam eequalem cunq; significationem reve-
rendissimis ac illustrissimis Celsitudinibus ve-
stris minimè displicituram esse: tamen etiam
atq; etiam oro, ut munusculum oblatum non
tam tenuitate, quàm animo offerentis aestiment,
cum recordatione dicti veteris, Mola salsa lita-
ri ab his qui thura non habent: tum exempli re-
gi Persarum Artaxerxis, qui à rustico pomum
oblatum his verbis accepisse dicitur, Videri eñ
talem esse, qui ex parva etiam urbe magnam
posset efficere: animum videlicet, à quo dabatur,
magis spectandum ratus, quàm quod offere-
batur munus. Id quod si mihi in reverendissi-
mis ac illustrissimis Celsitudinibus vestris acci-
derit tanto sum gratius habiturus, quanto ma-
gis hanc meam opellam vestrarum, Celsitudi-
num favore ac patrocinio indigere video: quas
ut Deus æternus pater liberatoris nostri Jesu
Christi ita regat, ut ipsarum gubernatio, pia,
fausta ac foelix sit cùm patriæ, tñ Ecclesie Chri-
sti, ex animo ardentibus votis precor & opto.
Date Kal. Martii, anno 1566.

Reverendissimarum ac illustrissimarum
Celsitudinum vestrarum

observantis.

Simon Schardius D.

PROOEMIUM.



N rebus ad decus Imperii Germanici pertinentibus, cum aliæ complures, sunt dignæ liberalium ingeniorum cognitione: tum verò meo iudicio dignissima est investigatio historiarum, de origine & institutione Principum, quibus electio Imperatoris in Germania est commendata. Si enim vel genealogiæ illustri alicujus familiæ, vel originis præclaræ civitatis cognitio, homini in rerum liberalium studiis versanti convenire putatur: quanto cognitio ordinationis Principum, quos dixi, rerum patriarum studio convenientior honestiorque erit? Ea siquidem investigatio præterquam quod pars est liberalis eruditionis, & amorem erga patriam cum aliqua virtutis laude conjunctum arguit, & debitam reverentiam erga principes ipsos alit, fovet & auget. Quis enim non omni reverentiæ cultu eos honoret, quos multis jam sæculis amplitudine dignitatis & meritorum in rempublicam cæteris præcelluisse cognoscit? Nam etsi nec aliorum Principum autoritas, atque in Rempublicâ studia contemnenda vel elevanda putentur: hi tamen & dignitate & meritis, multis partibus ali-

(*) 5

SIMONIS SCHAR. DE ELECT.

os superant. Nam quæ major vel sublimior dignitatis amplitudo, hisce principibus deferri vel tribui potuisset, quam quòd præ cæteris digni sunt habiti, quorum humeris, tanquam firmissimis columnis (ut verbis legis Carolinæ utar) Germanici, imò Occidentalis Imperii celsitudo committeretur: & ut ex ipsis tanquam ex generosissimo germine, Imperatore decedente, Aquila, quæ umbra alarum suarum Occidentem teget, produceretur? Sit sanè aliorum principum ac regum dignitas magna: hæc verò ea tanto major augustiorque est, quanto Imperiali fastigio propior, ejusque quasi legitima & ordinata creatrix esse videtur. Ut verò hic Principum ordo dignitate, sic quoque meritis in patriam cæteros antecellit. Nam postquam hi principes instituti fuere, eorum prudentia atque consilio factum est, ut & gravissimis dissensionibus, quæ antè de electione Imperatoris sæpius inter potentiores nobilioresque gentes æmulatione Imperii exarserant, conquiescentibus atque sopitis, pax & tranquillitas qualiscunque in Germania sit conservata: & insidiosis atque clandestinis conspirationibus exterorum, Imperii majestati inhiantium, repressis, Germani in possessione majestatis Imperii jam multis sæculis

GERM. PRINCI. LIB. UNUS.

sæculis permanserint, & in posterum quo-
 que permansuros sperandum sit, si ut ha-
 ctenus fecere, vera sese benevolentia com-
 plexi consentient; ac quem Imperii fastigio
 dignum duxerint, ut par est, pro virili juve-
 rint. Quid quod cùm apud alias quam-
 plurimas gentes, monarchia facilius in ty-
 rannidem transisse, imperiaque evertisse
 legatur, quòd, ut Hippodamus Pythago-
 ræus inquit, Stobæo referente, ταχέως ὑπὸ
 τυραννίδος ἐνέριος ἀνὰ σέσται, hi reipublicæ Ger-
 manicæ forma, ita contemperata, ut & re-
 gium principatum, & optimatum guber-
 nationem contineat, eò consilia sua ple-
 runque direxerint, ut boni, honesti, sapien-
 tes, justi, patriæ ac religionis amantes im-
 perio præficerentur. Quæ quanta bona
 sint, quilibet sanæ mentis ita perspicit, ut id
 copiosiore oratione explicari, magis osten-
 tationis quàm necessitatis esse videatur.

Ac etli pontifices pro sua tyrannide ac
 ambitione nihil non juris ac authoritatis in
 Imperium sibi vendicantes, dissensionibus
 in hoc ordine sparsis id effecerint, ut inter-
 dum vel de electione vel remotione Impe-
 ratorum bella civilia nata sint, quemadmo-
 dum historiæ Henrici v. Friderici utrius-
 que, Philippi Suevi, & Ludovici Bavari te-
 stantur: tamen tam accuratam circumspe-
 ctionem

SIMONIS SCHAR. DE ELECT.

Etionem & considerationem rebus adhibere, ut bellorum ac dissensionum incendiis extinctis, Imperii majestas facta tecta- que maneret, nec qua vel fraude, vel con- spiratione, vel rabie Pontificum Romano- rum, ad aliam gentem transferretur.

Cum ergo principum horum qui Ele- ctiores dicuntur, dignitatem merita in Rempublicã æquent, digna est liberalibus ingenii investigatio ordinationis eorum. Nam etsi communis opinio atque senten- tia scriptorum, hucusque fuerit, eam ab Othone tertio Saxonico Imperatore factã fuisse: extitẽre tamen hoc tempore viri cum aliarum artium multivaria cognitio- ne, tum vetustatis ac historiarum indagati- one celebratissimi, qui quasi cornicum o- culis confixis, communem historicorum opinionem non tantum in dubium revo- cavẽre, sed & tam speciosis ac eruditis ar- gumentis & rationibus impugnãvẽre, ut ordinatio hæc, quæ vetustissima habita fu- it, recentior opinione multorum plerisque esse videatur: non obscuro sermone inter- dum agitantibus ea, quibus ordinis amplif- simi autoritas elevetur, qui cum se vetusta- te vendiderit, ignorantiam originis vel insti- tutionis suæ probat.

Cæterum cum (quod pace tantorum vi-
rorum

rorum dictum esse volo) hæc nova opinio, quantūvis argutis argumentis colorata, à veritate aliena, ejusq; authores (quod sæpe alias etiam doctissimis accidere consuevit) humani quid passi esse deprehendantur, operæ precium facturum eum existimo, qui communem historicorum sententiam, ab impugnationibus doctissimorum virorum vindicatam, pristinae authoritati restituat. Etsi verò dum vires ingenii mei pondero, non tantum eas perquam debiles & exiguas esse agnosco: sed & ego jam diu horum amœnissimorum studiorū cultu intermisso, aliis multo severioribus, negociisq; à literis remotissimis vacarim, ut verè de me dicere possim quod alicubi de se poëta,

Scilicet ingenium longa rubigine lesum

Torpet, & est multo quàm fuit antè minus:

Tamen cum prædicta opinio doctissimorum virorum, à veritate rei dissona, & cum imminutione aliqua non tantum dignitatis Principum, sed & laudis præstantissimi Imperatoris Othonis conjuncta sit, amore veritatis & reverentia erga amplissimum ordinem Electorum, deniq; propensione erga præstantissimum Imperatorem Othonem adductus, communis sententiæ patrociniū suscipere, ac in arenam cum viris eruditissimis, & omnis antiquitatis in-

daga-

SIMONIS SCHAR. DE ELECT.

dagatoribus sagacissimis, de disceptatione
 hujus rei descendere non sum veritus. Non
 quidem, ut quenquam gladiatorio animo
 impetam, seu cum ipso pugnaciter conten-
 dam, vel ejus studia elevem atque insecter:
 sed ut placidè, tranquillè ac moderatè sen-
 tentiis collatis, veritas rei eruta in lucem
 proferatur. Nihil etenim veritatis investi-
 gationi magis contrarium duco, quàm ad
 eam odium, iram, æmulationem, vel alias
 vitiosas cupiditates afferre, quæ menti lu-
 cem eripiunt, quasiq; nebulas offundunt. ut
 verissimè ille dixit, καθάπερ τὸ τῆς ἡλίου φῶς ἐκ
 ἐπιθέσασθαι ἀσθενεῖ καὶ ἀδυνατῶ τῆσφι, ὅτω καὶ
 ἐτι μᾶλλον τὴν ἀλήθειαν οὐκ ἐστὶν ἰδέειν ἀσθενεῖ καὶ ἀδυ-
 νατῶ τῆς διανοίας. Id, ut contrariæ sententiæ de-
 fensores perpensuros spero: sic & me fa-
 cturum polliceor. Ut verò rei hujus veri-
 tas tanto facilius patefiat, initiò quæ de ele-
 ctione Principum Electorum sententiâ ha-
 ctenus fuerit, obiter explicabo: deinceps a-
 liorum opiniones contrarias recensebo: ac
 in quibus eæ cespitent ac hallucinentur, o-
 stendam. Postremò, ex fide dignis
 monumentis rei veritatem
 subjungam:

GERM. PRINCI. LIB. UNUS.

DE ORIGINE ET
INSTITUTIONE PRIN-
cipum Electorum in
Germania.

CAPUT. I.



OTHONE secundo Imperato-
re Romæ defuncto, variæ
ac multiplices de electione
Imperatoris disceptationes
exortæ fuere. Nam Italiæ-
stuentes cupiditate Imperialis dignitatis à
Germanis ad se transferendæ, Crescentium
Nomentanum, consulem Romanum, per-
quàm potentem ac factiosum, Imperato-
rem declarari volebant. Quidam verò o-
dio Imperatricis Theophaniæ, matris O-
thonis III. mulieris callidæ, & populis Oc-
cidentalibus parum propensæ, Henricum
Bavariæ ducem, Henrici fratris Othonis
primi filium, Cæsarem proclamavere: qui
etiam Othone III. puero factiose raptò,
atque firmissimæ custodiæ tradito, Imperij
possessionem usurpavit. At principes Ger-
maniæ, fidem Germanis dignam domino
suo præstantes, puerum Othonem ex ma-
nibus Henrici ducis extortum, tanquam
legitimum patris sui & regnorum suorum
hæredem, in folio regio collocarunt. Id

A

quod Benedictus VII. pontifex Romanus, qui summoperè institerat, ut in creando Imperatore, Reipublicæ solerti atq; perito gubernatore admodum indigenti consuleretur, suo consensu ratum firmumq; habuit.

Cum autem postea Otho adolescentiæ annis completis, in Germaniam concessisset, resq; ejus undecim ferè annis composuisset, in Italiam tandem pro recipienda imperiali corona rediit: & mortuo Johanne XVII. vigore privilegij avo suo Othoni Magno de investituris episcoporum concessi, Brunonem Saxonem, cognatum suum, pontificem creavit, qui Gregorius V. post adeptum pontificatum dictus, Othoni benedictionem imperialem contulit, qua ille accepta in Germaniam reversus est. Romani verò indignè ferentes sibi pontificem Saxonem, & Imperatori cognatum, datum fuisse: vix Imperatore Italiam egresso, Gregorium urbe eijciunt. Qui cum aliquandiu in Hetruria substitisset, nec illum populus revocaret, Othonem in Germaniam adiit. Inter ea Crescentius denuò consul confirmatus, rempub. arripit, muros urbis instaurat, molem Hadriani munit: ac Johannem quendam natione Græcū, episcopum Placentinum, non minus pecuniosum quàm doctum,

doctum, pontificem creat. Otho hisce cognitis, ira concitus, copiis coactis urbem petit: eamq; obsidione cinctam ad tantam necessitatem redigit, ut populus Romanus fame compulsus, patentibus portis Imperatorem acciperet. Intromissus in urbem Imperator, pontificem atque Crescentium ignominiosissima morte afficit, atque Gregorium in sedem Barioneam restituit. Cum verò Otho pro ingenii sui perspicacia atq; prudentia, quæ tanta fuisse scribitur ut *Mirabilia mundi* diceretur, animadverteret, non tantum Italos æstuarè cupiditate Imperialis dignitatis, à Germanis ad se transferendæ: sed & inter ipsos Germanos cum aliis, tum verò patre defuncto, inter Henricum Bavarum aliosq; principes dissensiones exortas fuisse recordaretur: ipse, qui prole mascula careret, atq; Imperij maiestatem apud Germanos perpetuò durare cuperet, suffragante summo pontifice Gregorio, utpote principe Saxonici sanguinis, ex consilio principum Germaniæ sanctionem tulit de Imperatore à Germanis proceribus deligendo: videlicet, ut in futurum non per sanguinis successionem Imperii dignitas duceretur, sed per Imperii officiales, (ut vocant) Imperator deligeretur. Quo verò concordia in electione servaretur, no-

Otho III. Mirabilia mundi dicitur.

*Imperii
Officiales
Electores
constituti.*

4 SIMONIS SCHA, DE ELECT.

minati sunt tres Germaniæ antistites, Ecclesiastici principes Imperii archicancellarii, Moguntinus ut rebus Germaniæ, Coloniensis ut Italiæ, Trevirensis ut Galliæ præessent, inq; iis officia sua exercerent. His additi sunt quatuor seculares, qui & ipsi munia sua Cæsari exhibent: Saxonum Dux, ut archimarschallus: Marchio Brandenburgensis, ut camerarius: Palatinus Rheni, ut dapifer: Dux Bohemiæ, ut pincerna Imperii essent. Penes hos jus & arbitrium eligendi Regem esse voluit, ne quis (ut dixi) Imperatoriam maiestatem sibi veluti hæreditariam vendicaret. Et tempore Othonis hac ratione institutionem electorum factam, autores tradidère plerique: ut Martinus Polonus archiepiscopus Consentinus in suis Chronicis, Leopoldus de Babenberg de juribus regni & imperii, cap. 2. sub. fol. 339. Rodolphus de Columna, cap. penult. sup. fol. 296. Albericus de Rosate in suo lexico, in verbo, Electores. Marsilius Patavinus de translatione imperii, cap. II. sup. fol. 236. Cusanus de Concordantia Catholica, lib. 3. cap. 4. sub. fol. 615. Antoninus historiæ suæ parte 2. tit. 16. cap. 4. Blondus Decad. 2. lib. 3. Platina in vita Gregorii v. Jacobus Bergomas in supplemento Chron. lib. 12. Albertus Crantz in metro poli.

poli. Nauclerus generat. 34. Abbas Tritemius in chronico Hirsaugiensi de Cunrado x. abbate. Cuspinianus in vita Othonis III. H. Mutius de Germanorum prima origine lib. 13. cum aliis recentioribus compluribus. Nec quenquam, qui ante tempora nostra de Electorum institutione quicquam scripserit, legere me memini, qui aliud prodiderit, quam temporibus Othonis institutos fuisse, præter M. Jordanem, & Theodoricum Nyemum: quorum ille institutionem eorum ad tempora Caroli Magni refert, ut videre est sup. fol. 300. & rursus fol. 306. hic verò in Nemoris sui, antehac non editi, sed nunc per me publicati, cap. & c. ad tempora Cunradi Salici, dicens: *quòd post obitum Henrici sancti, principes Germanie ordinarint, ut in posterum Romanus princeps eligeretur per tres Ecclesiasticos & tres laicos nationis Germanicæ: & iis discordantibus, per adjunctum ducem Bohemie.*

Nyemi sententia de institutione Electorum.

Verum ut Jordanis sententia, tanquam falsissima, refutatione minimè eget, quòd constet tempore Caroli Imperium per successionem, non electionem delatum fuisse: sic Theodorici sententia, cum cæteris (meo iudicio) facile ad concordiam reducitur.

Nam cum Henricus sanctus decessurus, principibus atque proceribus Imperii con-

CT.
tes, Ec-
ancella-
e, Colo-
llia præ-
t. His
i & ipsi
am Dux,
randen-
us Rhe-
pincerna
bitrium
s (ut di-
oi veluti
pore O-
electo-
que: ut
Consen-
is de Ba-
i, cap. 2.
na, cap.
ofate in
Marfilius
cap. II.
ntia Ca-
Antoni-
4. Blon-
Gregorii
emento
a metro
poli.

fulentibus, quem nam successorum dignum imperio judicaret: Cunradum Salicum cæteris prætulisset, & Cuno dux Francorum vehementissimè Imperium ambiret, ita ut inter se electores dissideret: haud dubiè quibusdam visum est, si Cunradus eligeretur, eam electionem magis ex voluntate & dispositione Henrici, quàm liberis principum suffragiis fieri: ne itaque contrario actu recens lata Othonis constitutio aboleretur, & principibus præjudicium crearetur, decrevère Imperatorem non aliter nisi per imperii officiales eligendum: non quòd novi quid statuerent, sed auctoritatem sanctionis sub Othone latæ confirmarent, & sic verè prima electio Imperatoris per proceres Imperii post discessum Henrici secundi accidit tempore Cunradi Salici.

Nam etsi Henricus sanctus ab aliis antè citatis autorib. primus fuisse scribatur, qui per principes vigore sanctionis sub Othone factæ Imperator delectus fuerit: ejustamen electio non usquequaque secundum constitutionem Othonianam, Nyemo facta fuisse visa est, quòd (ut ipse ait) collateralis Othonis III fuerit, & sic magis ex successione quàm electione rexisse videatur. Id quod inde etiam apparet: quod Heriberto
Colonien-

Coloniensi archiepiscopo, insignia regni tenente, Henricus cæterorum votis in se inclinantibus, ea violenter ab ipso extorserit, quasi ad se jure hæreditario pertinerent. His itaque consideratis, non usquequaque Nyemus à cæteris dissentire videtur: imò in eadem sententia cum aliis esse. Sed de his satis. Unicum saltem adicio, annum quo hoc decretum ab Othone factum sit, ab autoribus certò non tradi. Blondus loco præallegato, factum esse scribit biennio ante mortem Othonis. Obiit autem, secundum Urspergensis supputationem, anno millesimo primo, quinto Cal. Februarii: qua ratione incideret hæc constitutio in annum 999. At Jacobus Bergomas, eam factam scribit anno 994. Platina verò in vita Gregorii v, anno Christi m, ac secundo, promulgatam refert.

*DE ERRORE EORUM, QUI
Institutionem Electorum soli Gregorio v. tribuunt.*

CAPUT. II.

COMMUNIS scriptorum sententia de institutione Electorum, ut præcedenti Capitulo ostensum est, in hoc residet: eam sub Othone factam, Hæc verò accuratius

perpenſa, in duas contrarias dividi videtur. Alii ſiquidem authores, eam ab ipſo Othone Imperatore, pontifice ſuffragante: alii autem à Gregorio pontifice (nulla Imperatoris vel procerum Germaniæ mentione facta) factam ſcribunt. Eſi verò hæ ſententiæ diviſæ, authoritate & numero ſcriptorum ferè pares videri poſſint, ſeparatim tamen iis diligenter perpenſis, prior poſteriori veritate ac rationum firmitudine prævalebit. Nam ne attingam ea quæ Nicolaus Cuſanus lib. 3. cap. 4. de Concordantia Catholica ſup. fol. 616. contra ſententiam exiſtimantium hanc institutionem pontifice autore institutam, eruditè & verè diſputat: oſtendens eam communi conſenſu Alemannorum & aliorum qui Imperio ſubjecti erant, non ſolius pontificis authoritate factam, licet ea acceſſerit: quomodo, ea quæ Blondus lib. 3. Decade ſecunda ſcribit, cum aliorum ſcriptis conſentiunt? Ille namque Gregorium quintum reſtitutum, acerrimam de accepta à Romanis injuria ultionem ſumpſiſſe refert, facta de electione Imperatoris ſanctione: *Solis Germanis, qui inde Electores dicantur, licere Imperatorem deligere.* At alii, qui eandem ſanctionem ſoli Gregorio tribuunt, eam conſentientibus Romanis ac univerſo clero factam tradunt:

Jacobus Bergomas, & Abbas Tritemius. Sanè si vindictæ animo sanctio est lata, per-
exiguus Romanorum consensus fuit.

Deinde qua ratione Blondus scribere po-
tuit, hac sanctione Gregorii quid juris Ro-
manis fuisse ademptum: cum jam inde à
temporibus Caroli Magni nihil juris in Im-
perium habuissent, eo in Carolum ejusq;
successores pleno jure translato? Idq; ita
fuisse, non opus est longiore probatione.
Refert ipse Blondus paulo ante historiam
institutionis Electorum, Othone secundo
defuncto, atque puero Othone tertio reli-
cto, non defuisse Romanos, atq; inter hos
maximè Crescentium Nomentanum, qui
contenderint, à Romanis Italis ve resumen-
dum Imperium: sed Germanos, qui senten-
tiis aliquantulum variabant, hac re cogni-
ta, Othoni tertio Imperium detulisse.
Quod si hæc diligentius ponderasset, vana
ista somnia de vindicta Gregorii, historiæ
suæ non attexuisset. Nam dum Romanos
imperium resumere voluisse, idq; à Germa-
nis Othoni delatum fuisse fatetur, nihil ju-
ris penes Romanos fuisse ostendit. Minimè
itaq; verisimilia à Blondo, ejusq; sequaci-
bus, de autore institutionis Electorum scri-
bi apparet.

Adhæc, ej^o opinionis auth. pleriq; tradidère:

sanctionem istam à Gregorio, synodo congregata factam. Quod itaque decretum de hac re nobis profertur? De aliis reb. minimis, nullaq; memoria dignis, decreta pontificum suo Decreto infarsit Gratianus: cur hoc suppressisset? Aut itaque nulla de re tanta à Gregorio sanctio est facta, aut sceleratè eam Gratianus prætermisit. Verùm prius altero verisimilius videtur, cum, qui in minimis usque adeò diligens est, nec majora neglecturum fuisse, meritò præsumi debeat.

Sed quid hisce levioribus immoror? Refellitur sententia hæc, clara & irrefutabili autoritate Innocentii III. c. venerabilem. ext. de elect. & electi potest. ubi scribens ad Bertholdum Zaringiæ ducem de potestate electoribus concessa, sic inter cætera ait: *VERUM illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendū, recognoscimus (ut debemus) ad quos de jure & antiqua consuetudine noscitur pertinere: præsertim cum ad eos & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli, à Grecis transtulit in Germanos.* Hic pontifex autoritatem eligendi Imperatoris in Electores, non vi vel autoritate sanctionis Gregorianæ translata, sed
 vigore

vigore translationis Imperii in Carolum factæ, scribit. Quod si Gregorius hujus institutionis autor fuisset, haud dubiè tantam rem Pontifex, qui alioqui ex musca elephantem gignere consuevit, minimè dissimulaturus fuisset.

Vera itaq; ac firma est sententia, volèti-um hanc institutionem cōsilio principum Germaniæ ab Othone factam, suffragante pontifice. Quod & ipse Tritermius in suo Hirsaugiensi chronico aliqua ex parte velle videtur, dum inquit: *Gregorium sanxisse synodo congregata, Romanis consentientibus, & clero Romanum imperium debere permanere apud Germanos, perpetuis futuris temporibus: ita ut principes per Othonem deputati, habeant jus & potestatem eligendi Imperatorem.* Vides itaque & Tritermium, quantumuis hanc sanctionem pontifici tribuat, fateri tamen, principes ad tantam dignitatem ab Othone, non à pontifice deputatos.

Nec Platinam, quantumuis institutionē seu sanctionem hanc Gregorio pontifici tribuat, admodum à nostra sententia abesse videtur, dum de Gregorio scribit: *Is (inquiens) cognita Imperii imbecillitate, varietateq; fortune, quo diutius apud Germanos summa potestas remaneret, illeq; cæteris præesset qui virtute & dignitate cæteris præstaret, sanctionem*

nem retulit, haud abnuente Othone de Imperatore deligendo, &c.

*DE AUTHORIBUS QUIBUS-
dam recentioribus, qui institutionem Electo-
rum minimè temporibus Otthonis, sed
longè post inductam esse arbitrantur.*

CAP. III

QUÆ præcedentibus Capitulis de ordinatione Electorum dicta sunt, ea ad summam propositi nostri parum facere videntur. Sive etenim à Gregorio, sive ab Othone ordinatio ea inducta fuerit, Electoribus in utramque partem originis suæ antiquitas constabit. Nos tamen cum alteram sententiam alia veriorè judicaremus, brevibus, quam earum probaremus, indicandum duximus. Nunc verò propius ad rem ipsam, ob quam hic labor susceptus est, accedemus: ac recensebimus eos authores, qui communi sententia tanquam falsa relicta, electorum dignitatem longo tempore post Othonem cæpisse arbitrantur. Inter eos, primos fuisse invenio: Johannem Stabium, D. Maximiliani Cæsaris mathematicum & historicum, virum longè eruditissimum; & Comitem Nuenarium, unà cum Jacobo Speigelio Selestadiensi: quorum hic in Annotationibus suis ad Guntheri Ligurinum lib. primo, enarrans locum, ubi

*Johannes
Stabius Co-
mes Nuenar-
ius.*

ECT.

de Impe-

IBUS-

Electo-

s, sed

tur.

s de or-

nt, ea ad

cere vi-

e ab O-

ectori-

æ anti-

lteram

s, bre-

dican-

ad rem

est, ac-

nores,

sa reli-

mpore

Inter

n Sta-

mati-

litissi-

cum

orum

ri Li-

, ubi

GERM. PRINCI. LIB. UNUS. 13

describitur conventus principum, ad eligendum novum Regem defuncto Cunrado, ad versiculos hosce:

— orbaq₃ regni

Teutonici sedes, Cunradi morte vacabat:

Acturi sacrae de successore coronæ, (C. C.

Conveniunt proceres, totius viscera regni,

Vides, inquit, neque hic observatam sanctionis Gregorianæ formulam, de eligendo Imperatore latam à paucis principibus, cuius Itali & pleriq₃ alii exteri scriptores meminere, mirè interim nostrorum annalibus silentib. Proinde vel commentum fuit Italarum, ut pleraq₃ alia: Joannes Stabius animadvertit, Nuenaris Comes recipit: vel (ut ego puto) non probata tunc à cæteris principibus Germaniæ, aut saltem non perpetua. Sed & Sabellicus, prudens, & diligens scriptor, fatetur se parum compertum habere, fuerint ne tunc primùm creati, qui Imperatorem eligerent: an postea res inducta sit.

Sabellicus.

Dissentit à nobis Munsterus. Ex quibus verbis Spiegelii liquidò apparet, cum alios citatos, tum verò ipsum, ideo à communi opinione recessisse, quod non septem Electores ad deligendū novū Imperatorē, sed plures cōvenisse, apud authores invenerint.

Horum sententiæ proximè accessit Jo-

Ioannes A-
ventinus.

annes Aventinus, vir solidæ eruditionis & rerum antiquarum indagator sagacissimus:

qui

14 SIMONIS SCHA. DE ELECT.

qui libro quinto Annalium Bojorum, fol. 505. morte Othonis tertii commemorata, de septem virorum institutione scribit in hæc verba: De septemuiris & primariis Heptarchis, qui sibi deligendi Imperatoris Romani Germaniciq, partes nunc sumunt, nihil penitus, ne verbo quidem uno, neq, Hermannus, neque Romerius, neque Sigebertus, neque Othonoster, Guntherus ve poeta, & ceteri quiq, proximi horum temporum gravissimi diligentissimiq, scriptores ullam mentionem faciunt: profecto non omisuri tantam rem, si, uti nostro seculo sunt, illa tempestate principes illi, constituendi Cesaris legem ac prerogativam accepissent. Res aliter est, nempe longo post tempore instituta, filios semper parentibus, proximos sanguine & affinitate in demortuorum locum successisse, ab omnibus communiter ducibus, dynastis, satrapis, episcopis, presulibus, civibus, populo Italiae, Galliae, Germaniae, designatum esse rectorem, usus tum rerum magister indicat. Ego illos demum post fata Friderici secundi institutos, & à Gregorio x. pontifice max. confirmatos esse, compertum habeo.

Onuphrisus
Panvinius.

Post Aventini annales editos, Onuphrisus Panvinius, Augustinianæ sectæ frater, citra controversiam monachorum qui longo tempore vixere, antiquitatis peritissimus, ut hujus rei veritatem erueret, proprium

um librum de Comitibus Imperatoriis scri-
 bendum suscepit. In quo primum, ratio-
 nibus in medium adductis, receptam de in-
 stitutione Electorum sententiam convelle-
 re; deinde veterum gravissimorum autho-
 rum testimoniis hinc inde accumulatis, o-
 stendere nititur, eandem à temporibus O-
 thonis III, usque ad tempora Friderici I I.
 fuisse creandi Cæsaris formam, quæ ante i-
 psum ab obitu usque Ludovici III, filii Im-
 peratoris Arnulphi, servata fuisset: nimi-
 rum, ut rex Germaniæ, vel Imperator, ab o-
 mnibus saltem regni Germanici principi-
 bus, tam Ecclesiasticis quàm secularibus,
 qui ideo *Imperii Principes* appellabantur, e-
 ligeretur: in eam tandem concedens sen-
 tentiam, ut cum Aventino statuat, hanc in-
 stitutionem exortam fuisse sub Gregorio X
 Placentino, circa tempora comitiorum,
 quibus post longum Imperii interregnum
 Rodolphus Habsburgicus Rex appellatus
 fuit, A cujus rationibus & argumentis re-
 censendis ideo abstineo, quod singula sepa-
 ratim excutere, & ad ea simili ratione re-
 spondere constituerim. Nec plures ejus
 sententiæ sectatores nomino, quod nullius
 scripta, præterquam unius viri doctrina &
 antiquitatis cognitione suspiciendi, me le-
 gere contigerit, qui novam hanc sententiã
 amplexus

amplexus fuerit, eiq; quid, non visum vel cogitatum à Panvinio, addiderit. Tanto hic in hujus rei investigatione studio atq; labore versatus est. Quare ejus rationibus refutatis, aliis quoq; latis factum fore spero.

RATIONES ET ARGUMENTA

Quibus contra autorum qui precedenti Capite memorati fuere, sententiam ostenditur, certos

Electores non tantum ante tempora Rodolphi, sed & ante tempora Friderici fuisse.

CAP. IIII.

CUM ergo communis authorum sententia de institutione Electorum non tantum in dubium revocetur, sed & argumentis & rationibus undiq; conquisitis & coacervatis impugnetur, ordo ac rei necessitas exigere videtur, ut antequam ad contrarias sententias & rationes descendamus, sententiam nostram certis quibusdam rationibus ac argumentis muniamus, deinceps ad adversariorum sententiam impugnamdam refutandamq; procedamus. Id itaque facturi, adversariorum sententiam, existimantium usque post tempora Friderici reges vel Imperatores ab universis Germaniæ proceribus eligi solitos, & Electores principibus

cipibus post tempora Friderici secundi, id-
que quidem tempore Rudolphi Habspur-
gici institutos, falsam, ac à veritate histori-
ca penitus alienam esse censemus: quin imò
multo ante tempora Friderici (Deo dante)
fuisse Electores, ostendemus.

Quia verò præcipuas atque gravissimas
sententiæ nostræ rationes, ex memorabili
atq; decantata illa epistola decretali Inno-
centii tertii, incipiente, *Venerabilem, Ext.
de Elect. & electi potest.* Desumemus, quæ à
Canonistis (ut vocantur) materiæ Electo-
rum tanquam propria sedes est destinata,
ut aliis materiis aliæ sedes: ideo operæ præ-
cium censemus illam decretalem hic præ-
mittere, ut quilibet lector ea ob oculos po-
sita, videat quàm verbis ipsius atque senten-
tiæ consona sint ea, quæ inde tanquam ex
pharetra quadam munimina sententiæ no-
stræ, de promemus. Cnm autem Magister
Petrus Beneventanus, subdiaconus Inno-
centii, decretalem istam famosissimam (ut
canonistæ loquuntur) in compilatione De-
cretaliû, ut & alias plerasq; mutilarit, & eã
nobis vir eruditione virtute ac pietate cla-
rissimus Amãdus Potgiesserus I. V. Doctor,
olim in Italia studiorû nostrorum consors
suavissimus, nunc celebratissimi iudicii
Camerae Imperialis assessor, ante trienniû

*Exstat inté-
gra in Epi-
stolis Decre-
talis ipsius
innocentii
iii.*

integram communicarit, eam ita hic sub-
jungemus, non tantum hac de causa quam
diximus, sed & quò cum inter illas decreta-
les referatur (teste Alberico de Rosate in
suo Dictionario, in verbis, *Electio imperato-
ris*) in quibus pontifices falcem in alienam
messam miserunt, hi qui eam sua explicati-
one aliquando pro Imperii majestate ornã-
dam duxerint, ea integra in suis meditatio-
nibus juvari queant, verba ejus hæc sunt.

*INNOCENTIUS III. PONTI-
fex, Bertholdo Zaringia duci.*

VENERABILEM fratrem nostrum
Saltzburgensem archiepiscopum, & di-
lectum fratrem abbatem de Salamona,
& notabilem virum marchionem Orientalem,
quorundam principum nuncios ad sedem Apo-
stolicam destinatos benignè recepimus, & eis
benevolam duximus audientiam indulgenda:
litteras quoque quas per eos quidam nobis prin-
cipes destinarunt, diligenter perlegi fecimus, &
quæ continebantur in eis notavimus universa.
Inter cetera verò quæ dicti principes per easdẽ
nobis litteras intimarunt, hac præcipuè objectio-
ne nisi sunt, dicentes: quòd venerabilis frater no-
ster Prænestinus episcopus, Apostolica sedis le-
gatus, aut Electoris gessit, aut cognitoris
perfo-

personam. Si electoris, in messem alienam miserit falcem suam: & electioni se ingerens, principum derogaverit dignitati. Si cognitoris, absente altera partium videtur perperam professisse, cum ea citata non fuerit, & ideo non debuit contumax judicari.

Verum nos, qui secundum Apostolicum sollicitudinis officium sumus singulis in justitia debitores: sicut justiciam nostram nolumus ab alijs usurpari, sic jus principum nobis nolumus vendicare. *VERUM* illis principibus jus & potestatem eligendi Regem & Imperatorem postmodum promovendum recognoscimus (ut debemus) *AD* quos de jure & antiqua consuetudine noscitur pertinere, presertim cum ad eos & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli à Grecis transtulit in Germanos. Sed & principes recognoscere debent, & utique recognoscunt, sicut idem in nostra recognovere presentia, quod jus & auctoritas examinandi personam electam in regem, & promovendum ad Imperium, ad nos spectat, qui eam inungimus, consecramus & coronamus. Est enim regulariter & generaliter observatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quæ impositio manus spectat. Nunquid enim si principes non solum in discordia, sed etiam in concordia, sacrilegum quemcunque, vel excu-

municatū, tyrannum vel fatuum, hereticum-
ve in regem eligerent, aut paganum, nos inun-
gere, consecrare, ac coronare hominem hujus-
modi deberemus? Absit omnino.

Objectioni ergo principum respondentes, as-
serimus: quod legatus noster episcopus Præne-
stinus, approbando in Christo filium nostrum
regem Othonem, & reprobando Philippū du-
cem Suevia, nec Electoris gessit personam, jux-
ta quod nobis per literas suas quidam principū
exponebant: ut pote qui nec fecit aliquem eligi,
nec elegit. & sic electioni se nunquam ingessit,
nec cognitoris personā exhibuit, cum neutrius
electionem (quo ad factum eligentium) confir-
mandam duxerit, aut infirmam: & sic jus
principum nullatenus usurpavit aut, venit cō-
tra illud, exercuit autem denunciatoris officium,
quia personam ducis ejusdem denunciavit in-
dignam, & personā ipsius regis denunciavit in-
doneam, quo ad imperium obtinendum, non tã
propter studia eligentium, quàm propter meri-
ta Electorum: quamvis plures ex illis qui eli-
gendi regem in Imperatorem promovendum, de
jure ac consuetudine obtinent potestatem, con-
sensisse perhibeantur in ipsum regem Othonē:
& ex eo quod fautores Philippi, absentib. aliis &
contemptis, ipsum eligere presumpserunt, pate-
at eos perperam processisse. cum explorati sit ju-
ris, quod electioni plus contemptus unius, quàm
contradictio multorū obsistat. Unde privilegiū

meruerūt amittere, qui permissa sibi abusi sunt potestate: quia huiusmodi injuria non obstante, ceteri uti poterāt iure suo. Et quoniā dux praedictus, nec ubi debuit, nec à quo debuit coronatus unctioē accepit: memoratus vero rex ubi debuit, videlicet Aquisgrani: et à quo debuit, scilicet à venerabili fratre nostro Coloniensi episcopo, recepit utrumq₃. Nos ergo non Philippū, sed Othonē, reputamus et nominamus regē, iusticia exigente. In reprobatione privata, Philippi ducis Sueviae propter manifesta impedimēta personae, nō accusatione, sed cōdēnatione potius fuit opus. quia non accusatione, sed condēnatione indigent manifesta. Quando autē vota principū in electione dividūtur post admonitiōē et expectatiōē, alteri partiū favere possumus, et maxime post quā à nobis unctio et consecratio et coronatio postulatur, sicut utraq₃ pars à nobis multoties postulavit, ex iure patet pariter et exēplo. Nunquid enim, cū principes admoniti et expectati, vel nō potuerūt, vel noluerunt in unū propositū consentire: sedes Apostolica advocato et defensore carebit? eorumq₃ culpa ipsi redundabit in pœnā? Sciūt autē principes, et tua nobilitas nō ignorat, quòd cum Lotharius et Conradus in discordia fuissent electi, Romanus pontifex Lotharium coronavit, et imperium obtinuit coronatus eodem Cunrado tum demum ad eius gratiam redeunte. Nos ergo per

nuncios principum memoratos, eos duximus
commonendos: ut quemadmodum nos à juribus
ipsorum cessamus, sic ipsi contra jus nostrum se
nequaquam injuriosos ostendant: sed à prefato
duce, justo quidem judicio reprobato, recedant,
& prefato regi Othoni non abnuant adherere:

nisi tum demum, cum contra personam ejus,
vel factum, legitimum aliquid obiectum fue-
rit, & ostensum. Sunt enim notoria impedi-
tum, Excō-
municatio. menta ducis Sueviæ, scilicet excommunicatio
publica, perjurium manifestum, & persecutio
divulgata, quam progenitores eius & ipse præ-
sumpserunt in Apostolicam sedem & alias Ec-
clesias exercere. Fuit enim à bonæ memoriæ Ce-
lestino papa prædecessore nostro, propter invasi-
onem & devastationem patrimonii beati Pe-
tri, commonitione sæpius præmissa, publicè &
solenniter vinculo excommunicationis innoda-
tus, cum in Tuscia moraretur, quod ipse post-
modum recognovit, dum per nuncium suum ab
ipso prædecessore nostro absolutionis beneficiū
postulavit: & postquā à Sutрино episcopo, quem
cum abbate sancti Anastasi pro liberatione ve-
nerabilis fratris nostri, Salernitani archiepi-
scopi nos in Teutoniā miseramus, contra for-
mam mandati nostri, de facto solummodo, quia
de jure non potuit, post suam electionem apud
Vuormaciā occultè se fecit absolvi. Unde pa-
tet, quod excommunicatus, fuit electus: & vi-
detur

Episcopus
Sutrinus
natione
Teutonicus
Philippum
absoluit,
unde à pa-
pa deponi-
tur. Vr-
sperg. &
Naclerus
gen. 40.

detur non immeritò, quòd adhuc excommuni-
 cationis sententiæ sit innodatus, cum prædictus
 episcopus eum auctoritate sua non posset absol-
 vere, auctoritate verò nostræ legationis nec plus
 nec aliter hoc licuit ipsi, quàm quando ei fuerat
 ab Apostolica sede concessum. Ex eo enim ex-
 communicationis sententiæ subiacere creditur
 manifestè, quòd cum perfidus Marquardus Dei
 & Ecclesiæ inimicus, cum universis fautoribus,
 tam de Teutonicis, quàm de Latinis excommu-
 nicationis vulgata vinculis, suæ iniquitatis me-
 ritis astrictus (sicut etiam vobis per litteras no-
 stras, directas per Petrum iudicem Placentinũ,
 ipsius Philippi nunciũ, intimasse meminimus,
 quas ad ipsius Philippi audientiam credimus
 pervenisse) ipse nihilominus, quamvis id non
 tantum ex relatione ipsius iudicis, sed & per
 publicam famam ad noticiam eius devenerit, e-
 idem excommunicato non solum communicat,
 sed eum in malitia sua fovet, & per nuncios &
 litteras suas exacuit furorem ipsius, ut charissi-
 mum in Christo filium nostrum Fridericum re-
 gem Siciliae, illustrem nepotem eius, quem iam
 hereditate paterna privavit, adhuc privet pos-
 sessione materna. Idem etiam contra proprium
 iuramentum, super quo nec consilium à sede A-
 postolica requisivit, ambitionis vitio, regnum
 sibi usurpare præsumpsit, non alium causa ne-
 cessitatis in regem eligere, quod utrumque tole-

Hic Mar-
 quardus co-
 gnomento
 Anuvyler,
 ab Henri-
 co Dux Ra-
 venna &
 Marchio
 Anconita-
 nus cõstitu-
 tus. eo de-
 functo ver-
 bis quidem
 tutorẽ Fri-
 derici se pro-
 fessus, re au-
 tem ipsa vi-
 am ad re-
 gnum occu-
 pandum af-
 fectans: ho-
 stis regni
 ab Innocen-
 tio tertio,
 & Constán-
 tia matre
 Friderici &

iudicatus.

De quo Col-
lenutus in
historia

Neapol. in

Vita Fride-

rici, statim

sub initium.

II Per iurium

manifestum.

III Impedi-
mentum.Persecutio
Ecclesie.

rabilius videtur, cum super illo iuramento se-
des Apostolica prius consuli debuisset. sicut & eã
quidam consuluere prudenter, apud quam ex
institutione divina plenitudo residet potestatis.

Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si
iuramentum illud dicatur illicitum: cum ni-
hilominus super eo nos consulere debuisset, quã
contra ipsum propria temeritate venire, ille
presertim exemplo: quod cum Gabaonitæ a fi-
liis Israel per fraudem surripuerunt iuramen-
tum, cognita fraude, noluerunt contra illud sua
temeritate venire. Utrum verò dictum iuramẽ-
tum licitum sit, an illicitum, & ideo servan-
dum an non servandũ extiterit, nemo sane mētis
ignorat, ad nostrũ iudiciũ pertinere. Quod autẽ
Philippus de genere persecutorum extitit, prin-
cipes non credimus dubitare: cum Henricus,
qui primò de genere hoc Imperium accepit, bo-
næ memoriæ Paschalem papam prædecessorem
nostrum, cum episcopis & cardinalibus multis
Romanorum præsumpsit captivare. Frideri-
cus verò pater ipsius Philippi, contra felicis re-
cordationis Alexandrum papam, prædecesso-
rem nostrum, longo tempore schisma fovit:
Henricus frater ipsius Philippi, qualiter se ha-
buerit circa interfectores sanctæ memoriæ Leo-
diensis episcopi, quem ipse prius coegerat exu-
lare, Cunradum, qui Hostiensem episcopum
ceperat, satis nostris, qui & qualiter venerabi-
lene

lem fratrem nostrum Auximonensem a lapis
 cedi fecerit, & pilos de barba eius avelli, & tra-
 ctari eum in pluribus inhonestè, qualiter quoque
 quosdam Romanae ecclesiae familiares naso fe-
 cerit mutilari, qualiter praedictum Salernita-
 num archiepiscopum captivavit, & quosdam
 viros Ecclesiasticos flammis torreret fecit, quos-
 dam verò in mari submergi, ad tuam & alio-
 rum Principum audientiam credimus perve-
 nisse. Insuper si praedictus Dux (quod absit)
 Imperium obtineret libertas in electione peri-
 ret, & Imperii obtinendi de cetero ceteris fidu-
 cia tolleretur. Nam si, prout olim Fridericus
 Cunrado, vel Henricus postmodum Frideri-
 co, sic nunc Fridericus Philippo, vel Philippus
 Henrico succederet: videretur imperium non
 electione, sed successione deberi, praesertim cum
 multi principum ex Imperio aequè sint nobiles
 & potententes, in eorum praedictum redunda-
 ret, etsi non nisi de domo ducum Suevia vide-
 retur aliquis ad Imperium assumendus.
 Cum ergo nos flecti à nostro proposito nulla pe-
 nitus occasione possimus, sed in eo potius fir-
 missimè persistamus, & tu nobis saepe per lite-
 ras tuas duxeris suggerendū, ut eidem duci nulla-
 tenus faueremus: nos te monemus & exhorta-
 mur in Domino, & per Apostolica scripta
 mandamus, quatenus sicut de gratia nostra
 confidis, & nos de tua devotione speramus,

Imperium
 electione,
 non successi-
 one constat

de cetero à prefato ducere recedas: omnino non ob-
stante iuramento, si quod ei ratione regni feci-
sti cum (eo quantum ad obtinendum Imperium
reprobato) iuramentum huiusmodi non debe-
at observari. Predicto verò regi Othoni, quem
nos (disponente Domino) ad coronam Imperij di-
sponimus evocare, patenter ad hereas, & poten-
ter, ut cum ei admonitionem nostram adhaese-
ris, inter primos gratiam & benevolentiam eius
obtinere præcipuè merearis, ad quod pro tuæ no-
bilitatis amore operam dabimus efficacem.

Sic itaque hac Decretali præmissa, nihil
vel de occasione vel authore ejus, vel prin-
cipe ad quem scripta est, dicendum nobis
arbitramur; quod qui hæc scire velit, ea ab
historicis, maximè verò Urspergenſe pete-
re possit. Hoc saltem monemus, eam scri-
ptam esse circiter annum Domini millesi-
mum ducentessimum, decem annis antè
quàm Fridericus junior ad Imperium per-
venit, secundum supputationem Ursper-
genſis: quo rectè notato, quilibet facilimè
perspiciet, ante tempora Friderici jus eligē-
di non penes universos, sed certos quosdam
principes Germaniæ fuisse. Ita siquidem
pontifex dicit: *VERUM* illis principibus
ius & potestatem eligendi Regem, in Imperato-
rem postmodum promovendū, recognoscimus,
ut debemus, ad quos de iure & antiqua con-
suetudine noscitur pertinere. Re-

Rectè singula hæc verba ponderentur, & ea firmamenta immobilia nostræ sententiæ esse perspicientur. Initio siquidem, dum dicit, *ILLI Principibus*; non vult omnes vel universos intelligi, & dum adiicit, *AD quos*: orationem ad certos quosdam, & speciales restringit. Id quod communis dicendi consuetudo docet, & Jureconfulti de relativi natura restrictiva tradidère, in l. ea tamen adjectio. Delegat. 3. l. à filio. §. testator. §. seq. de alim. leg. l. nam quod liquidò. §. fin. de penu. leg. c. fin. de cler. non resid. Bart. & Dd. in l. omnes populi. de justitia & jure. Bald. in l. præcipimus. in prin. C. de appellat. Aretinus in §. jus autem civile. Instit. de jur. nat. gen. Jason §. omnium. nu. 24. Instit. de act. cardin. Clem. 2. in prin. de statu monachorū, & Clem. 1. quæst. 9. col. 4. de foro compet. Abbas c. ego. de jurejur. Alexan. consil. 46. col. 2. vol. 1. & consil. 207. col. 2. vol. 3. Socinus consil. 188. visa bulla Plauli, col. 3. versic, ex quibus videtur inferri. Aretinus l. si quis duobus. C. de impub. substit. Dd. & Jason in l. cunctos populos. C. de summa trinit. Ac ut in hoc §. numerum Electorum ad certos coarctat, sic quoque paulo post in §. objectioni versic, exercuit. ubi dicit, *Quamvis plures ex illis qui eligendi regem, in Imperatorem promovendum,*
de iure

*Relativum
 Qui restrictio
 Et summa*

de jure ac consuetudine obtinent potestatem. &c.

*Geminata
Verba*

Nec existimandum, quòd sine causa Innocentius hanc restrictionem geminavit: sed singulari emphasi bis eam inseruit, ut ostenderet non universis, sed certis eligendi jus competere. Verba siquidem geminata semper quid energiae majoris, quàm simpliciter & semel prolata, habent, & augmentum operari consuevère. Jureconsulti dixerunt in l. balista. ff. ad Trebel. l. si mulier. C. ad Velleian. l. generali. §. non solum. ff. de usufruct. leg. notatur per Gloss. magnam ad fin. in l. 4. §. quæ situm. ff. si quis cautionibus. De quo latius per Romanum in l. si verò. §. de viro. in 12. charta. ff. solut. mat. Similibus quoque restrictus ac penè iisdem Innocentius quartus, in sua decretali, qua Fridericum secundum, anno post decretalem Innocentii tertii editam, plus quàm quadragesimo, annathemate notat, circa finem utitur dicens: *ILLI autem ad quos in eodem imperio, Imperatoris spectat electio, eligant liberè successorem.*

Ex quibus denuò quilibet conicere potest, pontifices tam sollicitè verbis limitativis vel restrictivis (ut vocant) usus minimè fuisse, si (quod Onuphrius existimat) jus eligendi Imperatorem æquè ad omnes spectasset: nec certi quidam fuissent, qui præ

præ cæteris hanc præeminentiam habuif-
 sent. Quare etiam glossa ibidem rectè hos
 principes qui nunc Electores sunt, eorum
 nominibus expressis ibi intelligi tradit.
 Quinetiam ad confirmationem præceden-
 tium, videlicet quòd hæc verba (*AD quos
 de iure & antiqua consuetudine*) sint restri-
 ctiva, ac intelligenda de septem Electorib.
 facit constitutio celebratissimi acerimiq;
 iurium Imperii propugnatoris Ludovici
 Bavari, relata, & de verbo ad verbum posi-
 ta apud Albericum de Rosata l. benè à Ze-
 none. C. de quadriennii præscript. ubi us-
 dem verbis utitur. cum tamen certo certius
 sit, eo tempore Electores fuisse. Verba cõ-
 stitutionis antea cum *διαμνήσει* mea impressæ
 sic habent: *Licet iura utriusq; Testamen-
 ti manifestè declarent, Imperialem dignitatem
 & potestatem immediatè in filio Dei ab anti-
 quo processisse, & Deum per Imperatorem &
 Reges mundi iura humano generi apertè tri-
 buisse, & quòd Imperator ex sola electione eo-
 rum, AD quos pertinet, verus efficitur Im-
 perator, nec alicuius alterius eget confirma-
 tione, & in decreto adversus papæ Johan-
 nis 22. bullã quæ extat apud Nauclerũ gene-
 ratione 45. in secunda objectione, simi-
 liter inquit: PER suos processus cassavit
 ac annullavit electionem de nobis factam,
 & nos*

& nos postea nō potuisse administrare iura Imperii, sed quod administratio pertinebat ad ipsum, quia omnia sunt contra iura Imperii, & contra iura ac libertates eorum, ad quos vacante Imperio pertinet electio, & contra iura & libertates principum Alemannie, & subditorum Imperii, &c. An non iisdem verbis, quibus Innocentius III & IIII usi fuere, & Imperator Ludovicus III eo tempore utitur, cū jam certum fuit Electores esse? Cum ergo hæc verba in Cōstitutione Ludovici ad certos referantur, quare & in Decretalib. pontificum referri non debebunt? Non est siquidem novum, ut priores leges ad posteriores trahantur, & e contra. l. non est novū. cum legib. sequentibus, ff. de legib. & Senatuscon.

Secundò & hoc notetur, quòd pontifex ad Bertholdum Zaringiæ scribat, qui & ipse princeps Imperii fuit, isque non minimus sed tantæ authoritatis atq; potentia, ut Rex Romanorū electus fuerit, licet postea Philippo cesserit. Si itaque penes omnes ac universos jus eligendi fuisset, ratio loquendi ac proprietas sermonis postularisset, eum æquè numero eorū includi, ac alios, per hæc vel similia verba: *VERUM vobis Principib. &c. recognoscimus, nunc aut per hæc verba, ILLIS principibus ad quos: magis exclu-*
di

di quàm includi videtur. Nec solum id ex istis verbis quæ allegavimus, sed & aliis omnibus, quæ agunt de Principibus jure eligendi insignitis, apparet. Ita namque concepta sunt, ut neutiquam Bertholdum ducem comprehendant. Vulgaris verò Jureconsultorum regula est: unius inclusionem esse alterius exclusionem, & e contra. l. cum prætor. ff. de judiciis. l. cum ita. ff. de condit. & dem. l. Pomponius. §. sed etsi is. ff. de procurat. l. maritus. C. de procur. l. quod La-beo. ff. de compens. l. cum de lanionis. §. cui fundum ff. de fundo instruct. & c. qualis. 25. dist.

Tertiò, hisce accedit authoritas Friderici Aenobarbi, qui apud Radevicum lib. 3. c. 16. Germaniæ episcopis eum commonentibus, ut debitam reverentiam Pontifici exhiberet, ita respondit: *Debitam patri nostro reverentiam libenter exhibemus, liberam Imperii nostri coronam divino tantum beneficio ascribimus: ELECTIO NIS primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod superest cæteris secundum ordinem principibus recognoscimus: regalem unctionem Coloniensi: supremam verò, quæ Imperialis est, summo Pontifici quid. Quid præter hæc est, ex abundantia est, à malo est.* Hic expressè etiam apparet, jus eligendi nō universis, sed certis quibusdam

dam deferri: Moguntino scilicet, & cæteriò secundum ordinem. Quæ verò vis particulæ *Cæteri*, sit, non est obscurum. nam Grammatici quidem, teste Linacro lib. 1. de structura Latini sermonis, tradidère, eam. ut & vocem *Alter*, *Alius*, & *Reliquus*, esse è numero dictionum partitivarù, quæ aliquos ex multis significet. Juris verò interpretes tradidère, eam esse repetitivam similium: id est, appellatione Cæterorum venire ea quæ sunt similia expressis. Glossa in l. non solum. §. cæterum. in verbo Cæteros. & ibi Bart. ff. de procurat. Gloss. in l. si fugitivi. C. de servis fugitivis. & in c. deinde. 26. distinction. Bartholomæus Socinus in l. 1. ff. quis & à quo appelletur Jason in l. quæcunque. nu. 27. de officio ejus cui mandata est jurisdictionis.

*Jacobus de
Ardizone
Azonis discipulus.*

Quartò adjungo præcedentibus, testimonium Jacobi de Ardizone, vetustissimi feudistæ, ac Jureconsulti clarissimi, qui se Azonis discipulum fuisse ipsemet fatetur: & ut ex ipsius scriptis apparet, Friderici secundi tempora attigit. Hic in sua Summa feudali, sub finem tituli de Successione feudi, quæst. 30. An Imperator possit transmittere Imperium ad hæredes, etiam expressè ac clarè dicit: *quòd quidam principes (non universi, vel omnes) Imperatorẽ eligant.* Quia autem

autem tota quæstio ista à nostro proposito non est usque adeò aliena, totum locum ascribere libet.

Item Imperator non transmittit Imperium ad heredes per successionem; quia defertur electione, & non successione. ut in tit. ext. de electione & elect. potest. c. venerabilem. §. insuper si predictus, & in tit. ext. de pact. c. accepimus. Et à Deo hominibus mittitur, ut C. de veteri jur. enucle. l. 2. §. quia verò imperialem. & in l. i. in prin. in auth. de fide instr. §. 2. in authen. constit. quæ de digni. §. penult. in fin. in authen. In medio litis non fieri sic. jus. §. i. in authen. de consulibus, in fin. Et ab ipso imperialis corona imponitur. Ut in authen. de moderatione Helleponti. §. hanc. Et dicitur Imperialis fortuna, in auth. de consulibus, in fin. C. de iur. veter. enu. l. 2. §. quia verò imperialem. Imperium tamen semper dicitur esse: ut in auth. quomodo oportet episcopos. §. quæ igitur. Et in numero senatorum connumeratur, ut C. de digni. l. jus senatorum: quia senatores sunt pars corporis principis, ut C. ad l. Jul. majest. l. quisquis. in prin. Et jure Imperatoris non utitur, nisi susceperit infulam Imperialem. C. de quadrien. pres. l. ult. in fin. in authen. de consulibus in fin. quæ à Deo imponitur, ut in authen. de moderatione Helleponti. §. hanc. Unde videtur, quòd ad posteros heredes non transmittat. argu-

C

men. C. de aduo. diver. jud. l. petitionem. Nam
 & episcopus eligitur: in authen. de sanctis epi-
 scopis. §. 1. 2. & 3. & omnis dignitas & officium,
 ut ff. de decre. ab ordi. fac. l. 1. & ut notavi in
 summa, C. de decurio. §. sexto. Nam & præ-
 ses creatur ab ordine, & in ordine eorum rema-
 net, ut ff. quando ap. sit. l. 1. §. solent. in fin. Et
 ita potest dici de principe, ut eligatur à senatu.
 & arg. C. de offi. præfec. l. 2. ut hodie à principi-
 bus eliguntur vel suffragio populi, ut in Insti-
 tu. de jur. nat. §. sed quod principi. argumen.
 ff. de offi. quæsto. l. 1. Sed videtur quòd ipse prin-
 cept potuerit olim sibi eligere successorem, ut in
 Decretis distin. 63. in synodo congregata. & in
 decret. 23. distin. in nomine Domini, in medio.
 SED hodie quidem principes eligunt Impera-
 torem, qui potestatem eligendi ab Apostolica se-
 de acceperunt: sed examinatio, promotio, un-
 ctio, consecratio, coronatio, & manus impositio,
 ad dominũ Papã spectant, ut in tit. ext. de elect.
 & elect. potest. c. venerabilem. §. 1. & 2. Unde
 & dominus papa ex causa poterit ipsum depo-
 nere: ut in authen. de defen. civi. §. non habẽ-
 te. ut in tit. de sac. & for. fide. c. fidelitatis. & c. a-
 lius itẽ Romanus. & argu. ff. de reg. jur. l. ejus est
 nolle. argum. C. de off. præfec. præ. l. si quos.
 in authen. de mand. prin. §. festinabis, in Lom-
 bard. de off. jud. l. fin. Quòd successione defera-
 tur, est argu. C. de fun. patri l. hi quibus. in In-
 stitu. de dona. §. sed primus quidem. in auth. ut

defunc. seu fune. §. si verò etiam quodam. Nam
 & Imperator Carolus fuit pater Pipini Impe-
 ratoris: Pipinus Imperator fuit pater alterius
 Caroli Imperatoris, & iste Carolus fuit pater
 Ludovici Imperatoris, & Ludovicus fuit pa-
 ter Lotharii Imperatoris, ut in Lombard. de fur.
 l. si cuius libet. & tit. de episcopis & cler. l. & hoc
 & l. ut ibi tempore. de cap. titulis pro lege tenē-
 dis, l. prima. Nam & Imperator Fridericus
 videtur innuere in titulo, de pace Constantie.
 in §. in civitate illa, in fin. §. quod potest conce-
 dere regnum ejus filio Heinricho, & quod ejus fi-
 lia in regno eidem succedat, sicut & de facto: &
 iste nunc Fridericus Rogerius Imperator, fuit
 filius Heinrichi. Sed tu dicas, quod hoc contin-
 git potius electione principū, quam successione.

Quid clarius dici potuisset, p̄ sentētia no-
 stra, q̄ certis principib. non universis, jus e-
 ligendi etiam ante tēpora Friderici secundi
 cōpetuisse, q̄ hic ab Ardizonio dictum est?
 Ne verò quis hunc locū corruptū à quoquā
 putet, hic idē, iisdē verbis relat⁹ extat apud
 Baldū de Ubaldis, de pace Cōstatiæ, in ver-
 bis, Quis autē eliget. nu. 46. quē, qui volet,
 cū hoc Jacobi de Ardizone cōferre poterit.
 & rursus apud eundem in commentario de
 pace Constantiæ, in §. in civitate. in verbo,
 concesserimus: per tot.

Quintò, quod jus eligēdi Imperatoris nō

*Hostiensis
Cardinalis
Henricus
de Segusia
dictus.*

*Septem E-
lectores
Friderici se-
cundi tem-
pore.*

saltem penes certos ac peculiare principes, sed & hosce qui hodierno die eo utuntur, ante tempora Friderici II fuerit: autor est omni exceptione major Hostiensis cardinalis, qui tempore Innocentii III pontificis (à quo Fridericus secundus excommunicatus & Imperio privatus est) non tantum vixit: sed & ei, ut & Alexandro III, ejus successori, ob eximiam eruditionem perquam gratus & familiaris fuit. Hic namque in commentariis suis, quæ, teste Mathesilano, in tract. de succession. ab intestato, permagnæ sunt authoritatis inter Jureconsultos, expositurus præallegatæ decretalis Venerabiles. s. qui incipit, Verum, in verbo Illis. septem Electores enumerat his verbis: ILLIS (inquiens) scilicet Moguntino, Coloniensi, Treverensi archiepiscopis, Comiti Rheni, Duci Saxonie, Marchioni Brandenburgensi, & septimus est dux Bohemie, qui modo est Rex. Sed iste secundum quosdam non est necessarius, nisi quando alii discordant: nec istud jus habuit ab antiquo, sed de facto hodie tenet. Quid his verbis clarius dici posset? quæ sola ostendunt Onuphrii sententiam falsam esse. An verò Hostiensis qui sub Friderico II vixit, divinare potuit futura sub Rodulpho? Minimè gentium. neque etenim quisquam futura divinare potest, ut nostri

nostri loquuntur. l. si fidejuss. §. si cum debitor. l. si putator. in fine. ff. ad l. Aquil. c. 1. ut eccles. benef. ubi textus, & Glossa ibidem inquit: quòd Paulus, licet esset spiritu Dei plenus, non tamen potuit secreta divini consilii cognoscere, 22. q. 2. c. beatus. & notatur per Johannem Andreæ ext. de rescript. c. gratia. Ac philosophus præclarè dixit, quòd de futuris contingentibus non sit determinata veritas. ut & poeta:

— *Præsentia seire* *Eas homini, soli q̄*
Deo præscire futura.

Ac ne quis existimet hoc glossema recentioribus temporibus, à quòdam alio, textui Hostiensis adjectum: hæc eadem ab Alberico de Rosate in suo dictionario, in verbo *Electores imperii*, de verbo ad verbum ex autoritate Hostiensis referri sciat. Qui quidem Albericus, æqualis Bartoli fuit, & temporibus Ludovici Bavari & Caroli III vixit. Ex quibus authoribus ac testimoniis virorum qui tempore ipsius Friderici II vixere, & ea quoque quodammodo antecessere, luce meridiana clarius apparet, septem Electores non tantum ipsius temporibus, sed & ante ea fuisse. Id quod etiam ex ipsa Innocentii decretali liquidò probari potest. Sic namque inquit: *Se illis principibus jus & potestatem eligendi regem in Im-*

*Antiquum
tempus.*

peratorem postmodum promovendum recognoscere, AD quos de jure & antiqua consuetudine noscatur pertinere. Non itaque primùm temporibus Innocentii tertii, vel Philippi Suevi, à *ἄρχιερα* Electoratus principes consecuti fuere, sed & ante ea id habuere. Nec ignotum est his qui in jure mediocriter versati sunt, quæ antiqua consuetudo, vel quod antiquum tempus dicatur. Nam etsi sint qui temporis antiquo solum spacium quadraginta annorum tribuant, ut Antoninus c. veniens. 1. de testibus & in c. quod per novale. de verbor. signif. Geminianus in c. 1. de rescriptis in 6. Alexander consil. 4. in 2. vol. Tamen alii centum annorum spacium ad hoc requiri sentiunt, ut res dicatur de antiquis. Ita Panormitanus & Innocentius in d. c. veniens. Imola in l. 2. §. idem Labeo, ff. de aq. plu. arc. Archidiaconus 16. q. 7. c. si plures. & c. 1. & ibi Johannes Andreae & Doctores, de jure patronatus. Et hanc communem esse sententiam, cui etiã assentiatur Innocentius, scribit Jason in l. cum aliquis. nu. 7. C. de jure delib. & c.

Video equidem quibusdam mirum videri posse, quam obrem in sententia communi firmanda, rationibus ac testimoniis

po-

potius à Jurisperitis, quàm historicis sum-
ptis, uti maluerim. Sed nulla alia hujus
rei causa est, quàm quòd existimem juris
nostri interpretes, & maximè hosce quos
in hoc Capite allegavi, cum non saltem vi-
xerint temporibus Friderici, sed & in re-
publica versati fuerint, majorem harum
rerum noticiam habuisse: quàm Chrono-
graphos ejus temporis, qui in monasterio-
rum latibulis reconditi, ἀπολιτευτοὶ plerun-
que fuisse, & minus consona scripsisse de-
prehenduntur. sed me hìc reprimo.

Sexto: Electores jam temporibus Fri-
derici Ænobarbi fuisse, indicio est id quod
traditur, Henricam Superbum cognom-
mento Leonem, ducem Saxoniae, in gra-
tiam pontificis Alexandri à Friderico in
obfessione Mediolani desciscentum, Ele-
ctoratu Saxoniae privatum, eumque Bern-
hardo Anhaltino collatum fuisse. Si ita-
que Henricus Electoratu privatus fuit: id
quod & duorum gladiatorum à familia
Henrici Superbi ad Anhaltinos transla-
tio, & historiae veteres tam manuscriptae
quàm editae testantur: Electoratum jam
tum temporis fuisse necesse est. Ubi si-
quidem non est, vel esse non potest ha-
bitus, ibi non cadit privatio Lege

*Henricus
Leo Super-
bus Elector
Saxoniae.*

decem. & ibi Bartolus. ff. de verbor. obligat. l. manumissiones. ff. de just. & jur. & Institut. de libertinis, in prin. & in §. servus. & ibi not. Angel. Instit. de capit. diminut. cū multis aliis similibus. Et si quis rectè consideret mutationem, quæ in Electoratu Saxonico sub Sigismundo Imperatore accidit: Anhalinos magis dignitatem Electoralem, quàm totum Saxoniam ducatum à Friderico Ænobarbo accepisse videbit. Sed de hoc (Deo volente) alibi copiosior dicendi occasio erit.

Septimò ad confirmationem sententiæ nostræ, nimirum quòd Electores temporibus Rudolphi Habsburgici minimè instituti sint, sed antè ea fuerint: facit non parū, quòd cū à Johanne Tritemio in suo Chronico, coronatio Guilhelmi comitis Hollandiæ in regem Romanorum describitur, ita expressè Electorum munia & nomina commemorantur, ut id clarius vel melius fieri non potuerit: cū tamen electio Guilhelmi Hollandi Aquisgrani facta, electione Rodolphi Habsburgici ad minus omnium supputatione octodecim annis antiquior fuerit. Locum verò Tritemii, qui extat sub abbate Volpoldo, folio 244. quia valde illustris est, integrum adscribere libet. *Cum eligeretur (inquit de Vilhelmo) adhuc iuvenis*

nis erat annorū viginti, & fermè septem annis regnavit: qui etsi coronā Imperii non obtinuit tamē satis magnā obedientiā habuit. Ultima vero die mensis Octobris, regiā civitatē Aquisgranum cum agna procerū multitudine intravit: & sequenti die, hoc est, in festo omniū Sanctorū, per duos Episcopos Mindensem & Monasteriensem, benedicendum Archiepiscopo Coloniensi, in templo presentatum, duo alii Episcopi Trajectensis & Leodiensis in modum diaconi Dalmatica induerunt: quem prefatus Archiepiscopus Cunradus, cum magna solennitate in Regem Romanorum unxit, & coronavit, Consecratione autem peracta, idem Archiepiscopus locavit eum in sedem regni, dicens: Super thronum sedis gloriosæ sedeas, & iudicium & justiciam in terra facias. Christianus Archiepiscopus Moguntinus, cum oleo sanctificato dexteram ejus foris inūxit, dicens: Consecrare te dignetur omnipotens Deus in Regem Romanorum, qui David per manum Samuelis prophetæ inungi jussit super populum Hebræorum. Arnoldus Archiepiscopus Treverorum, manus super caput ejus imposuit, dicens: Descendat super te spiritus sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis & consilii, replearis spiritu timoris Domini. Ludovicus Comes Palatinus Rheni, archidapifer, globum aureum in

Vilhelmi
Hollandiæ
Comitis coronatio.

Aquisgranum coronatur
Vilhelmus rex
Rom.

Archiepiscopus
Coloniensis.

Archiepiscopus
Moguntinus.

Archiepiscopus
Treverensis.

Comes Palatinus
Rheni.

*Marchio
Branden-
burgensis.*

*Dux Saxo-
nia.*

*Rex Bohe-
mia.*

*Rodolphus
Habsburgi-
cus per E-
lectores ele-
ctus.*

manus ejus posuit, dicens: Accipe globum sphaericum, ut omnes terrae nationes Romano imperio subijcias, & Augustus gloriosus appellari valeas. Marchio Brandenburgensis Camerarius, regis annulum in manum tradidit, dicens: Accipe signaculum monarchiae, ut Romanum imperium in suo vigore conserves, & invicta virtute ab omni barbarorum incursum defendas. Dux Saxoniae, regis ensifer, gladium ei dedit dicens: Accipe sceptrum regium, ut rebelles severa correptione potenter affligas, omnesque benevolos in tranquilla pace gubernes. Rex autem Bohemiae, pincerna imperis, de consensu archiepiscopi Coloniensis, coronam argenteam capiti Regis imposuit, dicens: Accipe diadema splendidum, ut sis virtuosis actionibus adeo choruscus in terris, quatenus merearis coronam aeternae felicitatis habere in caelis: Amen.

Octavo oēs. ferè Historici scribunt, vacante Imperio post interfectum Guilhelmum à Frisiis, pontificem Gregorium monuisse Electores, ut infra certum tempus juxta facultatē sibi traditam, regem Imperio idoneum eligerent, alio quin se Imperio de rege idoneo provisurum. Ab Electoribus itaque Rodolphum Habsburgicum, hac conditione creatum, ut sequenti anno Romam peteret

teret coronæ accipiendæ causa: eaq; conditione imperium à Ropolpho susceptum, licet postea quantumvis crebrò admoneretur, Romam ire noluerit: testes sunt Platina in vita Gregorii decimi: Tritemius sub vita Johannis abbatis Hirsaugiensis xxvi. m. Albertus in suo chronico: Paralipomena Urspergensis: Cuspinianus in vita Rodolphi: Nauclerus generatione 43. & alii plures. Si itaque pontifex Electioribus mandavit, ut Imperatorem eligerent, & hi Rodolphum creaverunt: quomodo sub ipso poterint institui, qui antea fuere?

Hic ergo rationib. ac testimoniis, aliisque compluribus, quib. recensendis in præsentia supersedeo, adductus principes Electores, non tantùm non Rodolphi Habsburgici temporib. institutos, sed & eos tam diu ante ea fuisse censeo, ut verè eorum institutio Othoni III. tribuatur. Nitantur cōtrarię opinionis auth. suis argumentis, vel potius cōjecturis verisimiliter excogitatis: me folius Innocēti ac Hostiensis authoritati stare, minimè pœnitet. Non quidem, quòd
 more Canonistarū existimem, Papā omniscium ac plenū sapientiæ in tantū, ut omnia humana negocia & jura nō secus ac Deus in scrinio pectoris sui habeat, & q̄ qcquid ille vel approbat vel reprobat, id oēs approbare vel repro-

Papa auctoritas.

repro-

reprobare debeant, ut multis authoritatib. docet Quintilianus Mendosius in regulis cancellariæ eiq; absolutè credendum sit, ne istud os mentiri asseramus, unde veritas oriri debet, ut Bonifacius in Clement. Si Romani 22. de præbendis constituit. Sed quod ejus sententiam cum Historiis ac aliorum præstantium authorû testimoniis congruere videam, & eo tempore vixerit, quo ipse Reipub. præsidens, non potuit formæ ejus in Germania ignarus esse. Videant igitur qui contrarium sentiunt, ne os in cælum ponere putentur: & dum cedere nolunt, in pulverem sufflent, inq; oculos suos terram excitent.

AVENTINUM SENTIENTEM, Usque ad Fridericum I I. in Imperio magis successionem quàm electionem observatam, lapsum fuisse, ac contrarium verum esse, testimoniis autorum probatur.

CAPUT. V.

COMMUNI sententia de institutione Electorum rationibus & argumentis firmata, restat, ut contrarias sententias ventilemus, earumq; infirmitatem ostendamus. Inter quas prima fuit Stabii, ac
Comitis

Comitis Novenarii. Earum verò discussi-
onem suscipi minimè necesse duco: quòd,
quibus rationibus moti communem sen-
tentiam de Electorum ordinatione im pro-
barint, à Spiegelio non referatur. Nec de
ratione, qua hic impulsus fuit, ut falsa ea pu-
taret, quæ communiter de ordinatione ista
referuntur, prolixius disputo, quòd de ea
copiosè Capite VI. dicturus sim. Ad Aven-
tinum autem quod attinet, etsi ejus autho-
ritas cum ob singularem eruditionem, &
amorem veræ religionis, tum antiquitatis
cognitionem eximiam tanta apud me sit,
quanta paucissimorum, ejusq; nomini ut
quivis alius impensè faveam, quemadmo-
dum (Deo volente) id re ipsa brevi compro-
babo: tamen in hac re rationes ipsius non
tanti momenti apud me sunt, ut diversum
ab ipsis sentire piaculum existimem, vel
studio nominis ipsius veriore sententiam
proiiciendam censeam. Veritatem siqui-
dem, quæ cæli civis est, hujus terræ civibus
præferri convenit: & quantumvis vel ami-
corum vel præceptorum autoritas nobis
grata sit, tamen ὅστιον μᾶλλον ἐπελημῆσθαι τὴν ἀλή-
θειαν, secundum Aristotelem. Ac in hujus
rei consideratione verissimum esse conspi-
cio, quod Horatius in Arte poetica dixit:

Quam-

Quandoq; bonus dormitat Homerus.

Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

Id quod non tam erroris in Aventino, ac lapsus exagitandi animo dictum volo, quã ut fatear tanto viro ignoscendum: qui Herculeo labore ferè exantlato, longitudine itineris tandem defessus cespitet: ut rectè veteres Græci dixerint, *ὄνδεις ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός.* Porrò verò, ut hoc Aventino largiendum fateor, ne verbo quidem uno ab illis autoribus, quos nominat, sanctionis Gregorianæ mentionem factam: sic nō statim inde inferri posse, ex dialecticorum præceptis iudico, hoc quod ab illis scriptum non fuit: minimè factum esse, ac ob trium vel quatuor autoritatem reliquis omnibus fidem derogandam. Cumque opinionem multorum historicorum autoritate ac testimoniis suffultam, reñciendam censuerit: quis ita facilè in ejus concedet, qui omnium scriptorum autoritate caret? Nam quod compertum habere se scribit, Imperium usque ad tempora Friderici II. successione, non electione delatum fuisse: id verò satis mirari non possum. Initio siquidem autoritas Innocentii III. in c. venerabilem, huic sententiæ expressè adverstatur, cujus verba ita habent: *IN SUPPER si prædictus Dux Imperium obtineret, libertas*

libertas principum in electione periret, & Im-
 perium obtinendi deceterò ceteris fiducia tol-
 leretur. Nam si, prout olim frater dicti du-
 cis primi eorum, sic dux ipse fratri suo succede-
 ret: videretur Imperium non ex electione, sed ex
 successione deberi: & in præjudicium princi-
 pum redundaret, si non nisi de domo ducis præ-
 dicti videretur aliquis ad Imperiū assumendus.

Ac etsi hæc sola autoritas ad lapsum do-
 ctissimi viri demonstrandū sufficere posset,
 adjungā tamen & testimoniū Othonis Fri-
 singensis, ex lib. 2. cap. 1. quod omnino cum
 autoritate Innocencii III convenit. Anno
 (inquit) ab Urbe condita M. DCCC. ab incar-
 natione verò Domini M. C. LII. decedente ab
 hac luce vernali tempore, id est, sexta feria pro-
 xima (ut dictū est) post caput ieiunii, in civitate
 Babenbergensi, piissimo rege Conrado III, nonas
 Martii, id est, tertia feria post Oculi mei, in op-
 pido Franconesfurt, de tam immensa transalpi-
 ni regni latitudine, universum (mirum dictu)
 principū robur, non sine quibusdam ex Italia
 Baronib. tanquam in unum corpus coadunari
 potuit. Ubi cū de eligendo principe primates cō-
 sultarent (nam id juris Romani Imperii apex,
 videlicet non per sanguinis propaginem descen-
 dere, sed per Principū electionem Reges creare,
 sibi tanquā ex singulari vendicat prerogati-
 va) tandē ab omnib. Fridericus Suevorū dux,
 Friderici

*Petrus de
Vineis.*

Friderici ducis filius, petitur, cunctorumq₃ favore in Regem sublimatur. Sic & Fridericus II, in epistola secunda, jam cura nostra, sub titulo Epistolarum Petri de Vineis edita, Imperium esse non ex successione, sed Electione Principum, ad universos reges & principes mundi scribit, his verbis:

Quid etenim vobis & singulis Regibus singularum regionum à facie tanti principis sacerdotum timendum? Non superest, si nos EX PRINCIPUM ELECTIONE SOLENNI, ET ADPROBATIONE TOTIUS ECCLESIAE, ac in Christianae fidei religione viventium, Imperiali diademate divinitus insignitos, & alia regna nobilia magnificè gubernantes, deponendos aggreditur: & cujus quo ad Imperiale diadema, non interest, aliquid in nos exercere rigoris, etiam si cause legitime probarentur: verum quod sacerdotalis sic infestat abusio potestatis, à summo nos conatur precipitare deorsum, nec primi sumus, nec ultimi. hæc Fridericus II.
Quid? quod & exempla Rodolphi ducis Sueviæ, Lotharii Saxonis, & Otthonis III, contrarium ostendunt? Lapsum itaque doctissimum virum in hac re esse, fateri necesse est: nec quenquam fore credo, qui nõ malit autoritati Innocentii & testimonio Frisingensis, quàm conjecturis Aventini, licet

licet aliàs doctissimi viri, stare & acquiescere. Et tantum de ratione Aventini.

*PRINCIPIES ELECTORES, ET-
si Generali principum nomine ab authoribus
plerunq; vocentur, aequè tamen fuisse,
quàm cum nomen Electorum
usurpare cœperint.*

CAPUT VI.

NUNC verò ad Onuphrii Panvini rationes descendemus, quibus in libro suo *de comitiis Imperatoriis* evincere atque astruere nititur, Electores ante tempora Friderici II, minimè fuisse: sed temporibus Rodolphi Habsburgici primùm cœpisse. Neque etenim alia, quæ in isto libro tractat, de varia creandi Imperatores ratione, à temporibus Augusti usque ad veteris Romani imperii declinationem observata, ac orientalis Imperii origine, & Occidentalis excidio, vel ratione qua Imperatores Franci Occidentales creari consueverint, hic latius discutere constitui, quòd in istis omnibus, mihi cum illo conveniat; ut & in hoc, à temporibus Ludovici III, filii Arnolphi, usq; ad Othonem III, regem Germaniæ, vel Imperatorem, ab omnibus regni Germanici principibus tam Ec-

clestiasiticis quàm secularibus eligi consue-
 visse. Quòd verò huic annectit, Romani
 pontificis Cardinales, Comitem Taurini,
 Marchionem Montisferrati, & alios quos-
 dam, electioni Imperatoris, quæ per uni-
 versos principes Germaniæ facta fuerit, in-
 teresse consueviffe: id ni clariora historico-
 rum testimonia adduxerit, non facilè ei cõ-
 cesserim. Neque etenim autorum quos
 ipse citat, quisquam vel verbo eius men-
 tionem facit. Ut autem Imperator præcla-
 rè dicit, se erubescere loqui sine lege. in Au-
 then de triente & semis. *¶*. consideramus.
 Et Æschines sentit. *δὲν τὸ αὐτὸ φησὶ καὶ τὴν ῥή-
 τορα καὶ τὸν νόμον.* Sic quoque existimo histo-
 rici scripta, cum aliorum testimoniis ac rei
 veritate consentire non oportere. Hoc qui-
 dem ei facilè concedi poterit, venisse ipsos
 ad comitia, in quibus de Imperatoribus eli-
 gendis actum fuit: quòd verò habuerint
 vocem vel suffragia, non item. Quemad-
 modum & in proximis comitiis, quibus o-
 ptimus & gloriosissimus princeps ac D. D.
MAXIMILIANUS rex Romanorum, &c.
 declarabatur, multos Italorum principum
 legatos Francofurti fuisse constat, qui ta-
 men nullo in Imperio suffragii jure utun-
 tur. Quòd autem communi sententia de
 ordinatione seu origine Electorum rejecta,
 eandem

eandem eligendi Imperatoris seu Regis formam à temporibus Othonis III, usque ad tempora Friderici II, servatam contendit, quæ à temporibus Ludovici III, usque ad Othonem III, in usu fuerit, de eo controversia existit.

Etsi verò antequam ad discutiendas rationes ipsius accederem, mihi nonnulla merito pro Germanis dicenda essent, in quibus suggillandis in ingressu tractationis huius præter causam proluxior esse videtur: ne tamen in quo ipsum accusandum puto, ipsemet peccet: & ante victoriam (quod ajunt) mihi encomium cecinisse videar, ab eo mihi temperabo: & rationes quibus sententiam suam confirmat, breviter atque simpliciter (Deo volente) ita infringere atque convellere conabor, ut Germanis injuriam factam esse quilibet sit conspicieturus. Quod itaque ad rationes ejus attingit, Prima earum est, Ideo Electores non fuisse tempore Othonis III institutos, quòd autorum nullus de electionis vel Electoris voce sine officio ante Friderici tempora mentionem faciat: si verò hoc munus vel etiam vocabulum fuisset, veteres scriptores (ut putat) id non reticuisissent, saltem ubi occasio sese offert loquendi de septem Principibus, qui postea his titulis sunt

insigniti. Quæ ratio ad tantam rem evincendam mihi perquam debilis atque infirma, quanta hæc est, esse videtur.

Nam etsi constet, imò ipse quoque concedat, temporibus Rodolphi, item Caroli III. Electores fuisse: tamen *Principes* tantum, Electorum voce non expressa, nominari liquet. Videatur enim appendix ad Chronica Martini Poloni, in vita Rudolphi, Adolphi, Alberti, Heinrici vi. post eos Albertus Argentinensis, in suis Chronicis, de electione Adolphi Nassaviensis, Alberti Austriaci, Heinrici Lucelburgensis, Ludovici Bavari, itidem Nauclerus generat. 44. de electione & depositione Adolphi Nassaviensis: & rursus in eadem generatione, de electione Alberti Austriaci: item generatione 45. de electione Caroli III: novissimè generat. 49. de electione Friderici III Austriaci: & ita se rem, ut dixi, habere perspicietur.

Nec historici tantum eos *Principes* nominant, sed & Juris interpretes: qui tamè, utpote in republica versantes, majorem hujus constitutionis noticiam, quam monachi historici, in latibulis monasteriorum plerunque seclusi, habuere. Nam initio Glossa in c. ad Apostolicæ, de senten. & re jud. in 6 quamvis septem Electores nominavit.

narit.

narit, tamen postea eos simpliciter Principes vocat. Bartolus quoque, quem Carolo III, ob excellentem doctrinam, vitæq; ac iudicii integritatem pergratum fuisse constat, ubi in l. fin. C. de legibus, Electorum meminit, eos simpliciter *Principes Germaniae* nominat. Sic & Baldus, qui Bartoli contemporaneus fuit, in c. venerabilem. extra de electione &c. eos Principes vocat. licet interdum voce *Electionariorum* utatur, ut in l. bene à Zenone. C. de quad. præsc. Itidem Principum vocabulo tantum eos nominat Franciscus Zabarella in c. i. in fine principii, de jurejur. in Clem. ibi, *Quæro, si principes, ad quos spectat eligere Imperatorem, sint negligentes, an ad Papam potestas eligendi devolvatur?* Et Bartolomæus Salicetus in l. bene à Zenone C. de qua. præsc. nu. 8. ubi inquit: *Ejusdem virtutis atque potestatis esse debere electionem factam à principibus Germaniae, cujus virtutis fuerit electio facta à populo Romano, &c.* Vixit verò uterque horum, temporibus Sigismundi Imperatoris, & similia testimonia quam plurima quis inveniet, si iis opus erit.

Quinetiam si quis ipsorum Principum literas atque diplomata ab anno Christi 1274, quo tempore Rudolphus jam electus erat, usque ad annum Domini 1420, quo re-

xit Sigismundus, inspiciet (id quod me diligenter fecisse, dicere possunt) rarò inveniet, quòd ipsi Electores titulum Electorum usurpent, contenti officio cui dignitas Electoratus cohæret atque annexa est; ut pote Moguntinus titulo Archicancellarii Imperii, Saxo titulo Archimarschalli, & sic de reliquis. Quòd si itaque ratio Panvini subsistere atque valere deberet, æquè inde consequeretur, à temporibus Friderici I, Electores non fuisse atq; ante tēpora ejus. Ipse eos fuisse negat, cum nomen id non usque adeò frequenter apud authores qui intra Rhodolphi & Sigismundi Cæsarum tempora scripserunt, inveniatur. Et quidem, qui aliquas saltem Principum, qui ante Caroli III tempora vixerunt, literas vel diplomata viderit, rem ita se habere, ut dixi, fatebitur. Neque enim olim veteres Germaniæ principes, de prolixis titulis, ut nunc fit, solliciti fuere: contenti nominum suorum expressione, ut Imperatorum veteris literæ testantur, in quibus terræ hæreditariæ, vel ditiones quibus imperarunt, plerunque omissæ inveniuntur. Ita ut laudatissimæ ac fœlicissimæ memoriæ Imperator Maximilianus, eo aliquando, in diplomate antiquo, q̄ præsente Friderico Electore Saxonie, principe nunquam satis laudato,

Maximilianus Imperatoris de antiquis Ger-

dato, legerat, animadverso, cum admirati-
 one dixisse feratur: *Haha, prestantes illos*
Heroes de titulis minimè laborasse apparet,
Friderice: perpetuò etenim sese victuros existi-
marunt. Quod itaque principes rarò E-
 lectorù titulo ante tēpora Sigismūdi impe-
 ratoris usi legātur, nemini mirū videatur.

Porro quoq; constat, Papæ vocabulum à
 nullo episcoporū Romanorū usurpatum
 fuisse usq; ad annum Christi sexcentesimū.
 A tempore siquidē Petri usq; ad Sylvestrū,
Episcopi. Inde, scilicet ab anno Domini 320,
 usq; ad annum 520, *Archiepiscopi:* postea ve-
 rò sub Justino Cæsare, & Hormisda ponti-
 fice, *Patriarchæ* dicti fuerunt, donec quod
 nomen Papale assumpsere. Neq; tamē ob id
 (ut existimo) q̄ nomen Papæ non fuerit, di-
 gnitatem fuisse negabit: inque eo cum ipso
 sentio. sive etenim Papa à nomine pappos,
 quod avū significat: sive à pappo, carduorū
 flore: sive à Scytico Jove Pappæo derivetur,
 ratio etymologiæ dignitati pontificali qua-
 drat. Si verò Papa à papillis, nobilissima
 & delicatissima corporis parte dicatur, ut
 Gomefius in regulis cancellariæ sentit &
 loquitur: dubitarem quodammodo, an
 papalis dignitas ante Johannem octavum
 fuisset, ut pote qui solus officio papa,
 sed sexu fœmina, papillas delicatissimas

*manorum
 principum
 titulis iudi-
 cum.*

*Papa unde
 dicatur.*

habuit. Quod ergo pontificiæ dignitati nihil adimit: nec (ut spero) Electorum antiquitati obstabit.

Licet verò hæc, ut commemoravi, se ita habeant, ac ad redarguendam Panviniū rationem sint sufficientia, hoc tamen colorationis vice adjungam: quòd quantumvis principes Electores à plerisque ad tempora usque Sigismundi, communi Principum nomine vocentur, nec ipsi titulo Electorū nisi rarissimè sint usi, inveniri tamen eos ab hisce qui Imperii Germanici rationis peritiores fuere, & ipsis temporibus Friderici II vixerunt, etiam Electores dici. Magnum verbum hoc esse quibusdam videbitur. Sed verum esse, duobus locis seu testimoniis Hostiensis, in sæpius allegato c. venerabilem, s. objectioni, probo, ubi primo inquit:

HOC ipso quòd Electores ducis, elegerunt notoriè excommunicatum, ideo ad Electores Regis (scilicet Othonis) fuit ad eos devoluta eligendi potestas.

Et rursus circa finem ejus s. Electoribus igitur negligentibus Imperatorem eligere, Papa eliget: & si plures electi sunt, de utriusque jure cognoscet & desinet.

Adde his, quòd ipse Innocentius III nomine Electoris utatur. Sic etenim inquit:
Inter

Electoriū nomen temporibus ipsius Friderici II.

Papa legatus non solum

Inter cetera verò quidam Principes hac præ- *tus adhiben-*
cipuè objectione sunt usi, dicentes quòd Aposto- *ri in electi-*
licæ sedis legatus aut Electoris gessit, aut cogni- *onibus Im-*
toris personam: si Electoris, in messem alienam *peratoris.*
miserat falcem suam, & electioni se ingerens,
Principum derogaverat dignitati, &c. Ex qui-
bus verbis (ut hoc obiter admoneam) non
saltem hoc notandum est, Electoris nomen
tempore Innocentii tertii & Philippi Suevi
fuisse, licet non usq; adeò usitatum; sed &
legatum pontificium electionibus Impera-
toris minimè solitum fuisse adhiberi. id
quod toties Onuphrius inculcat. Si etenim
id moris fuisset, quare Principes hac ojecti-
one usi fuissent? & cur Pontifex scribendo
ab Bertholdum Zaringiæ ducem, de jure
suo cessisset, ut hæc verba jam allegata cla-
rè testantur? Quare si legati pontificii in
terdum Electionibus Imperatoriis interfu-
isse ab Historicis referuntur, id non lege,
jure vel consuetudine est factum: sed quòd
faces istæ dissensionum tyrannide pontifi-
cia armatæ, sese ingererent, quo contentio-
rum, certaminum, ac bellorum civilium se-
mina inter Principes spargerent. idq;
ita esse, diligentius historias
intuenti apparet.

PRINCIPUM QUORUNDAM,

Qui jam Electores dicuntur, cur nulla mentio expressa in Comitiis Imperatorum fiat, cum ceteri Principes nominentur.

CAP. VII

SECUNDA ratio, qua Onuphrius Panvinius ostendere nititur, hos qui jam Electores dicuntur, minimè in ea dignitate ante tempora Friderici I I fuisse constitutos: quòd cum in Imperatorum comitiis multorum Principum mentio fit, nunquam tamen Marchionis Brandenburgensis vel Comitis palatini Rheni mentio facta inveniatur, quum tamen ceteri Episcopi & Principes nominentur. Si verò hi duo ex præcipuis fuissent, negligentes fuisse historicos, qui eos ita silentio præterierint. Hæc ratio minus quàm prior est cõtemnenda, ac meo iudicio ad id quod Panvinius intendit, probandum multo accommodatior priore: sed apud me tamen non tanti momenti est, ut patrocinium communis sententiæ propterea deserere velim. Nam ea ipsa ratio non unico modo refelli poterit. Initiò siquidem loca historicorum inspecta ostendunt, eos tam generalib. verbis uti, ut speciatim singulos Principes qui electioni



electioni interfuere, exprimi necesse non fuerit; sed ipsi hoc subjecerint, qui ipsis præ cæteris placuere. Jam etenim vel regni primates, vel regni vel aulae palatinae proceres nominantur: quibus nominibus hi æquè includebantur ac alii, interdum verò

Officiales, quòd nemini nisi ipsis solis competebat: ut apud Vrspergensem, ubi describit comitia Philippi Suevi.

Mortuo Heinricho vi Imperatore, Friderici primi filio, Philippus Suevorum dux, frater eius, eo tempore exierat de Alemannia, ut veniret ad ipsum in Siciliam, processeratq; usque ad montem Flasconem prope Viterbium, ubi de morte Imperatoris nunciatum est ei. Quare ipse statim ab Italia recessit, & laboriosè peruenit in Alemanniam, ubi jam Principes iuramenta sua postponentes (nam procurante Heinricho Imperatore, principes Alemanniae ferè omnes, filium parvulum ipsius Fridericum, adhuc in cunis vagientem, sibi assumpserant in regem, fidelitatemq; ei iuraverant, & literas de hoc facto cum sigillis suis transmisserant Imperatori) de electione novi Imperatoris tractare ceperunt, cupientes diripere hereditates, quæ ad præfatam Imperatoris generationem pertinebant. Sed Deus conterens omnem impietatem & perfidiam ipsorum, hoc fieri non permisit.

permisit, inspirans cordibus hominum ut suos
 nativos dominos nō derelinquant, & alienis ad-
 hereant. Ideoq; præfatus Philippus ad partes
 Rheni se contulit in cōtinenti, & natalē Domini
 in castro Hagenou celebravit. UBI venerunt
 ad eum & officiales & ministeriales, & quidam
 de Principibus & Baronibus terre, cum qui-
 bus habuit mysterium consilii sui. Ubi etiam
 aderat Cunradus Argentinensis Episcopus,
 qui etiam promisit favorem & auxilium suum
 Duci, de obtinendo Imperio. Volebat enim
 tenere Imperium, cum in potestate sua haberet
 insignia imperialia, ut pote coronam & crucē,
 & alia quæ attinebant. Non enim cautum
 esset sibi, ut ad alium transfiret Imperium: &
 sic tam ipse quàm fratruelis suus, licet tunc par-
 vulus, omni hereditate sua privarentur, quod
 etiam non placuit altissimo, quamvis multa
 cœperint intervenire impedimenta, &c. Inno-
 centius siquidem Papa XII, tunc de novo in sede
 Apostolica sublimatus, omni studio cœpit ad-
 versari eidem, hoc agens ut ipsum impediret,
 ne ad sublimitatem culminis imperialis posset
 ascendere, improperans ei quæ frater suus & pa-
 ter crudeliter peregerant contra Ecclesiā, &c.
 His interpositis, de oppositione sedis Apostolicæ,
 ut regium genus deperiret: redeamus ad de-
 scribendum labores, quos iniquissimorum Prin-
 cipum machinatione sustinuit in Alemannia.

Primus

Primum equidem de prudenti consilio, quum
 videret sibi imminere adversitates & bella, ad-
 quisivit sibi favorem Principum & magna-
 tum. De Saxonia quidem habuit ducē Bern-
 hardum, Marchionem Misnia, & alios Prin-
 cipes seculares potentissimos, insuper Archiepi-
 scopos Magdeburgensem, & Bremensem, &
 suffraganeos eorundem. Viden hic Officia-
 les Imperii nominari, eosq; electioni Phi-
 lippi interfuisse? Porro quod Palatinus
 Rheni rarius historicis seu chronographis
 vetustioribus nominetur, ratione non ca-
 ret. Siquidem olim Palatinorum nomen,
 non familiae, ut nunc, sed officii fuit: Saxo-
 nia, Franconia, Bavaria, & Suevia suos Pa-
 latinos habente, eosq; non perpetuos seu
 hæreditarios, sed saltem ad tempus vitæ, ut
 & alios Ducatus & Comitatus fuisse con-
 stat, donec quòd temporibus Lotharii &
 Cunradi ad nepotes transire cœperunt. Cū
 ergo Palatinatus tunc non constiterit in
 certa familia, sed nunc in hanc, nunc in ali-
 am familiam pro voluntate Imperatorum
 transferretur: fit ut qui ante Friderici Aeno-
 barbi tempora Palatini fuere, magis ex no-
 mine familiae suæ appellentur, quàm Pala-
 tinorum: id quod observatum, ad plurima-
 rum mutationum, quæ tam in aliis Ducati-
 bus, quàm Palatinatu acciderunt, explicati-
 onem

Quatuor
 Palatini o-
 lim.

onem proderit. Hujusmodi verò Ducatus, Marchionatus, aliaque ejus generis minimè ad hæredes transiisse, sed possessoribus eorum defunctis revocari consuevisse, non tantum Historiæ, sed & jura Feudalia testantur, c. i. de his qui feud. dare possunt. in usib. feud.

Ad Brandenburgensem Marchionem quod attinet, & alia peculiaris ratio videtur, quo minus specificè nomen ejus etiam post tempora Lotharii, quo Ducatus & Marchionatus hæreditarii esse cœpere, exprimatur. Nam cum autores nomine Saxonum in genere plerumque utantur, nulla certa gente expressa: & Brandenburgenses, tanquam Saxonicae gentis pars, haud dubiè appellatione Saxonum olim, ut & nunc vulgò, comprehensi fuere: maximè cum, antequam Electoratus Brandenburgicus ad inclytos Burggravios Norinbergensis, & Saxonicus ad Marchiones Misnenses pervenit; nobilissima familia Anhaldiana Saxonica, Electoratum utrumque & Saxonicum & Brandenburgicum, illum quidem à Friderici Ænobarbi, hunc verò à Lotharii Saxonis tempore obtinuerit.

*Saxones
qui.*

Autores autem in descriptione harum rerum, uti generali Saxonum nomine, varia loca testantur. Sed uno atque altero contenti

contenti erimus. Primus ergo extat in historia Lamberti Schafnaburgensis, ubi describit electionem Rudolphi ducis Suevorum, tempore Henrici III & ita inquit: *INTEREA Moguntinus, Vurtzburgen-
sis & Metensis Episcopi, Rodolphus, Vuelff, Berdolphus, duces, & alii plerique ex principibus Teutonicis convenientes tractare de utilitatibus Reipublicæ statuerunt: ut principes Saxonie & quibuscunque respública cura foret. III idus Martii, in Forcheim occurrerent: & communi consilio quid facto opus esset, discernere, præsertim cum per absentiam Regis tranquillis rebus tempus opportunum deliberationibus & consultationibus nacti fuissent.*

Alter locus apud Frisingensem lib. 7. historiæ cap. 22. extat, ubi Cunradi comitia describit his verbis: *Anno Domini M. C. XXVIII, defuncto in autumno, sine filiis Imp. Lothario, conventus generalis Principum Moguntie in proximo Pentecoste indicitur. Quidam autem ex Principibus, timentes, ne forte ex generali curia Henricus Dux, qui tunc præcipui nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam prævaleret, circa mediã Quadragesimam, consilio habito in oppido Gallie Confluentia conventum celebrant, ibiq; Cunradum imperatorem Henrici sororium, præsentem Theodeu-*

VINO

vino episcopo Cardinali ac S. R. E. legato summi pontificis, ac totius Romani Populi urbiumque Italia assensum promittente, *xxciii*, ab Augusto regem creant, qui mox ad palatium Aquis veniens à predicto Cardinale (nam Coloniensis qui id facere jure debuerat, noviter intronizatus pallio carebat) cooperantibus Coloniensi & Treverensi Archiepiscopis, in Regem inauguratur. Proximum dehinc Pascha Coloniae celebrans, Moguntiam postea venit. At Saxones & dux Henricus aliique, qui electioni non interfuerant, regem non legitime, sed per subreptionem electum calumniabantur: quibus omnibus in proximo Pentecoste, generalis curia Bamberg indicitur. Itaque Cunradus Rex Pentecostem & curiam in praefata civitate, ut conditum erat, cum maximo regni fastigio, & maximo conventu principum habuit: ubi omnes Saxones simul cum vidua Imperatrice Richinza venientes, ultro se suae ditioni subdidere: solus ex Principibus, dux Henricus regalia servans aberat, ad quae reddenda in festivitate Apostolorum Petri & Pauli dies ei praefigitur Ratisbonae.

Præter hos, locus Urspergensis in descriptione comitiorum Philippi Suevi cum primis illustris est. Ostendit namque tum temporis, cum Misniae Marchionatus, Electoratu Saxonico nondum adjunctus esset,
Saxo-

Saxonum tamen nomine comprehensos, quē locum videre est sup. post principium hujus Capituli. Sed quid multis testimoniis opus est in re clara? cum præter Albertum Crantziū rerum Saxonicarum diligentissimum scriptorem, & Franciscus Irēnicus Germaniæ præco, omni laude dignus, Saxonicum nomen multos populos claudere, & usque ad Oceanum & utrumque mare extendi observavit.

Tertiò, etsi labores defunctorum, quos in rebus patriæ ab oblivionis injuria vindicandis sustinere, laudare quàm reprehendere malim: tamen verissimum est, à nostræ gentis hominibus, ut & aliis, pleraque ita conscripta fuisse, ut melius judicium, majorque reipublice scientia in ipsis desideretur. Neque verò tantum mihi de ipsorum laboribus judicii sumerem, nisi ex doctissimi Melanchthonis, unicique Germaniæ ornamentis scriptis, prudentissimum Imperatorem Maximilianum de eo conqueri solitum fuisse constaret, ita ut constituerit certis hominibus doctis mandata dare, ut collectis undique Germanicis chronicis, quia alius alia annotasset, ex fragmentis illis Germanica historia integra, quantum fieri posset, componeretur. Ac utinam, ne aliis occupationibus impeditus, re

*Maximilianus
Imperatoris de
Historicis
Germanicis
querelâs*

tantam absolvisset: non inter minima laudum suarum decora hoc referendum fuisset. Quare cum certum sit, pleraque non ea vel diligentia vel ratione ab ipsis scripta fuisse, qua optandum esset: non ita Panvinius ipsorum diligentiam hoc in loco prædicabit, ut rem quam vel ignorantia, vel negligentia, vel alia de causa prætermisere, minimè in rerum natura fuisse concessuri simus. Quid enim? si unius atq; alterius historici scriptis adquiescere vellemus, non consultis aliis, vel locis autorum inter se collatis, mira discrepantia atq; cōtrarietas in historiis futura esset. Non id aliis, quàm exemplis ad materiam propositi nostri spectantibus demonstro. Abbas Urspergensis, præclarus historicus, electionē Friderici Aenobarbi referens: *Anno (inquit) Domini M. C. LIII. ab Verbe condita M. DCCCC. v. Fridericus hujus nominis primus, XCI ab Augusto, regnum accepit, magis ex delegatione patris sui, quàm ex electione principū.* Hæc quidem ille. At illum magis Imperium ex electione, quàm delegatione obtinuisse, non tantum memorabilis decretalis *Venerabilem*, suprà Capite quarto allegata, demonstrat: sed & Othonis Frisingensis locus, suprà Ca. v. citatus, ostendit. Quin & ipse Fridericus, apud Radevicum lib. 3. cap. 16. inquit:

inquit: *Debitam patri nostro reverentiam exhibemus, liberam Imperii nostri coronam divino tantum adscribimus beneficio: ELECTIONIS primam vocem Archiepiscopo Moguntino; deinde quod superest, cæteris secundum ordinem Principibus. Convenientia his, ut & alias, Guntherus in Ligurino lib. VI scribis his verbis:*

Debita Pontifici faveat reverentia: regnum

Legibus antiquis & prisco more regatur.

Cujus ab eterno tantum collatio Rege Provenit, ad proceres electio pertinet: in qua

Præcipuam vocem præsul de jure vetusto

Moguntinus habet, pastori prima recentis

Agrippina tuo conceditur unctio regis.

An non hi loci rectè considerati, Fridericum electione, non delegatione legatione patru ad Imperiũ pervenisse, & Urspergensẽ lapsum fuisse demonstrant? Exiguus error nonnullis videri poterit, sed is non contemnendam inscitiam reipublicæ tunc temporis in optimo autore demonstrat. Nec verò solũmodo apud authores vetustiores, qui ante Rodolphi tempora vixere,

tales lapsus inveniuntur: sed & (ut intra materiam propositi nostri nos contineamus) si temporibus Rodulphi institutio Electorū (ut Panvinius existimat, introducta fuisset) incuriā plerorumque autorum equè incerta & dubia foret, quàm si temporib. Othonis factam dixerimus. Id quod si in hanc orationem delatus, locis ex historiis productis comprobem, quis mihi vitio vertet?

Extat Chronicon satis magnum Jacobi Philippi Bergomatis, fratris heremitæ, in quo multa utilia continentur, deductum ab exordio Mundi usque ad annum 1510. Si verò quis minus institutionis Electorum ex aliorum lectione gnarus esset, nã ipse legendo chronica ista, nullos Electores à temporibus Rodolphi usque ad tempora Maximiliani fuisse diceret, quantumvis Electores à Gregorio v institutos scripserit. Nam ita de electione Imperatorum scribit, ut aut à summo Pontifice, aut ab universis Germanis eos creatos fuisse videri possit. Percurramus enim breviter quæ de singulorum Imperatorum electione à Rōdolpho usque ad Maximilianum scribit:

Lib. 13. 1 Rodolphus Cornubiæ comes, 17 Germanorum Imperator, hoc anno omnium consensu in Lugdunensi synodo Caesar creatus, imperavit annis 19.

Adolphus

Adolphus Anaxone Comarchus, 18 Ger-^{II}
manorum Imperator, hoc anno omnium suffra-
giis Rex & Caesar creatus & factus.

Albertus ejus nominis primus, Rodolphi o-^{III}
lim Imperatoris filius, Austriæ dux, Adolpho
Imperatore oppresso & interfecto, decimus no-
nus Germanorum Imperator declaratus, im-
peravit annis 10.

Heinricus ejus nominis septimus Lutzel-^{IIIA}
burgensis Comarchus, vigesimus Germanorum
Imperator, hoc anno à suis Germanis electus,
imperavit annis 5. & mensibus 8.

Ludovicus cognomento Bavarus, 21 Ger-^V
manorum Imperator, hoc anno à quibusdam
per contentionem electus, imperavit annis 32.

Carolus ejus nominis quartus, Johannis Re-^{VI}
gis Bohemiæ filius, 22 Germanorum Impera-
tor, hoc anno, jubente Clemente pontifice, ab
Electo-ribus Imperator creatus.

Vuenceslaus Caroli Imperatoris prædicti fi-^{Lib. 14.}
lius, 23 Germanorum Imperator, hoc anno pa-^{VII}
tre defuncto, cum jam unã cum patre annis octo
imperasset, post patrem confirmatus, imperavit
annis 22.

Rupertus Bavariæ dux, Rhenig³ Comes Pa-^{VIII}
latinus, hoc anno Vuenceslao prædicto Impera-
tore propter eius ignaviã & socordiã, Imperii di-
gnitate privato, 24 Germanorũ Augustus dele-
ctus, imperavit annis novem: homo sanè Chri-

stianus, justicieq; cultor. quas ob res et à Bonifacio pontifice quàm libentissimè Imperii corona donatus.

IX Sigismundus Lucelburgensis, Caroli Bohemorum Regis olim filius, Hungariae & Bohemiae Rex, hoc anno Johanne pontifice predicto, nuper creato Papa, procurante, 25 Germanorum Imperator creatus, imperavit annis 27.

Lib. 15. Albertus Austriae dux, & Sigismundi Caesaris gener, hoc anno socero Sigismundo in Snoyma Moraviae oppido, vita functo: cum mox in regna Hungariae & Bohemiae successisset, & apud Albam regalem urbem primum cum Helisabeth dilectissima conjugè eorum regnorum diademata maximo cum triumpho successisset, etiam à Teutonicis suis Romanum Imperium suscepit.

XI Fridericus ejus nominis tertius, Austriae Dux, hoc anno Alberto defuncto, 27 Germanorum Imperator creatus, imperavit annis 55.

An non hic apparet, etiam eo tempore, quo lippis atque tonsoribus notum erat, Imperatores à Septemviris eligi: tamen eorum electionem ab hoc historico vel incuria vel alia de causa, ita obnubilari, quasi nulli fuissent? Nam ne de hoc dicam, quòd Rodolphum Cornubiæ Comitem appellat, eumq; in Concilio Lugdunensi electum scribit: item quòd Rupertum à Bonifacio Imperii

Imperii corona donatum commemorat: quæ omnia falsissima esse, ex aliis historicis constat. Quis ullum ferè Imperatorū ab Electoribus, testimonio ejus historici, electū fuisse credet, à temporibus Rodolphi usq; ad Maximilianum, nisi id aliunde didicerit? Quinetiam hic idem, post Matthæum Palmerium, qui tempore Concilii Basiliensis vixit, scriptum reliquit, temporibus Othonis constitutum, ut Imperator per solos Germanos proceres, unà cum quibusdam Pannoniæ & Ungariæ principib. eligeretur. quis verò id unquam scripsit, Hungaros electioni Imperatoris Germanici adhibitos? Id quod non tam obtrectandi bonis viris animo dictum volo, quàm ut ostendam, non mirum videri debere, si vetustiores historici paulo negligentiores, in rebus compluribus narrandis fuerint: cùm id vitii cum multo recentioribus commune habeant, quibus tamen multis de causis ratio ac forma reipublicæ notior esse debuisset, quàm antiquioribus: qui seculo tali vixere, quores tales vel non curabantur, vel minus rectè intelligebantur.

CY.

Boni-
ii coro-Bohe-
Bohe-
edictio,

mano-

is 27.

di Cæ-

Snoy-

nox in

et a-

n He-

orum

ssisset,

eruum

ustrie

mano-

ss.

pore,

erat,

n eo-

incu-

quasi

quod

ppel-

lectū

facio

perii

*NON REGEM (UT ONU-
phrius scribit) sed ducem Bohemia fuisse tradi,
qui primus Elector factus sit tem-
poribus Othonis*

III.

CAP. VIII.

TERTIAM Onuphrii rationem, quod nullus autorum qui ante tempora Frederici secundi, vitam Othonis aut Gregorii v scripserit, hujus institutionis mentionem faciat, silentio preterire constitueram, quod non tanti momenti videatur, ut accuratiore responsione opus habeat? hoc tamen quin scisciter, prætermittere non possum, quomodo Romanistæ, ratione argumentandi ab autoritate negativè procedente, donationem Constantini, cui omnis ipsorum potentia, tanquam fundamento inicitur, probare velint? Minus etenim de ea in antiquis historiis aut chronicis invenitur, quam de institutione Electorum ab Othone facta, in tantum ut Antoninus archiepiscopus Florentinus, autor gravis, & inter sanctos relatus, in suis Chronicis parte prima ante finem tradat: nihil olim de ea in antiquis decretis habitum fuisse, ut & Johannes de Imola in rubrica, ff de verb. oblig. col. 2, *Quin imò, quomodo papa se Petri*

Petri successorem probabit, cum nec Paulus nec Lucas, nec alii qui tunc temporis vixere, eum Romæ præsedisse, vel passum fuisse vel verbulo scribant? Sed quia argumentum ab autoritate etiam Præpositus inc. Constantinus, 96. distin. affirmativè tantum tenere docet. Hæc ulterius non prosequor, & ad rationem quantum accedo, quæ in hoc subsistit. Regem Bohemiæ, qui propter regiam dignitatem Elector factus scribitur temporibus Othonis, minimè Regem fuisse, sed Ducem. Falsum itaque esse, quod de jure Electionis, ei ratione regie dignitatis collato scribatur. Hæc illatio non mala esset, si qui authores hæc scripserint, allegarentur. Sanè qui inter communis sententiæ autores præcipuus est Martinus Consentinus non ratione regie dignitatis, sed quia officialis Imperii fuerit, Bohemum Electorem factum refert: licet eum Regem nominet, quòd tunc temporis esset. Cui etiam consentit Marsilius Patavinus de Translatione Imperii, cap. undecimo. Leopoldus de Babenberg de juribus regni & Imperii lib. 2. Et Cardinalis Hostiensis in c. Venerabilem, extra de electione & electi potest. expressè ait: *quòd tunc temporis cum Bohemus Elector factus sit, dux, non rex fuerit*: eumque sequitur Albericus

de Rosate in suo Dictionario, in verbo, *Electio Imperatoris*. Et cardinalis Zabarella in c. 1. in prin. ext. de jurejur. una cum aliis Canonistis in d. c. venerabilem. Ac meo iudicio, si qui sunt authores, qui institutionis Electorum mentionem facientes, Bohemum Regem appellant, ut Nauclerus generat. 34. Cuspinianus in vita Othonis tertii, aliiq; nonnulli, hi nō id sentiunt, quōd Othonis tempore Rex fuerit: sed quōd tunc cum scripserint, Rex esset: utpote, qui ipsi tradiderint ducem Bohemiæ Uladislauum, anno Salutis 1158. à Friderico primo regio diademate insignitum. Cuspinianus quidem in vita Friderici Barbarossæ, Nauclerus verò generat. 39. duobus in locis. Cum itaque præcipui autores sententiæ communis de institutione Electorum, quantum ad Bohemum spectat, non respiciant regiam dignitatem, sed officium pincernæ: videt Onuphrius se ex ratione nihil, vel parum admodum extruere posse.

Ejusdem quoque momenti est ratio, quæ huic accumulatur, nimirum quōd cum in schismate Imperii, quod inter Philippum Suevum & Othonem quartum fuit, ab Urspergense referantur principes, qui utrunque elegerint: nullus tamen eorum principum secularium recensatur, qui nunc Electores

ctores dicuntur : sed utrorumque comitia
 ab iis potissimum Germaniæ principibus
 habita fuisse narrentur, quorum nullus no-
 stra ætate electionis jus, vel Electoris titu-
 lum haheat. Hic verò non incommodè
 vel intempestivè, malorum quæ fraudibus,
 scelere & tyrannide pontificum Romano-
 rum in Germania excitata fuere, meminisse,
 ac iis deploratis, respondere possem : id
 quod Græco proverbio fertur, τὸν πόλεμον
 ἐπαύτων εἶναι πατέρας : ac veritatem veteris ver-
 siculi, experientia tunc temporis compro-
 batam, quo fertur :

Ἐν δὲ διχασσίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορα
 τιμῆς.

*id est : Pessimus ut quisque est, sic crescere
 honoribus, orta*

*Seditione solet, premitur contra opti-
 mus omnis.*

Sed ne ea refricem, quorum recordatio
 nemini bono grata esse potest : hanc ratio-
 nem ex ipso Urspergenſe, unde Onuphrius
 eam sumpsit, rectissimè quoque solvi posse
 existimo. Nec enim, quod Onuphrius
 vult, Urspergenſis quenquam istorum qui
 nunc Electores dicuntur, interfuisse comi-
 tiis istis schismaticis, negat : quin imò eos
 ad fuisse ostēdit, sic etenim scribit : *NATA-
 LEM Domini in castro Hagenau celebravit,*
 ubi

» ubi venerunt ad eum officiales & misteriales,
 » & quidam de Principibus & Baronibus terræ,
 » cum quibus habuit mysteriū consilii sui. Quid
 enim sibi volunt verba : *Venerunt ad eum*
Officiales? An alii officialium appellatio-
 ne, quàm Electores intelliguntur? Sanè
 Martinus, Leopoldus, Marsilius Patavinus,
 Albericus & alii, Officialium nomine Ele-
 ctiores comprehendi, jam diu tradiderunt:
 & eorum interpretationem veram esse, ipse
 Imperator Carolus IIII in aurea sua Bulla
 sub titulo, *De Juribus officialium*, dum prin-
 cipes feuda ab Imperatore vel Rege Roma-
 norum recipiunt, dum inquit:

Decernimus hoc Imperiali edicto, ut prin-
cipes Electores, Ecclesiastici, vel etiam secula-
res, dum feuda seu regalia ab Imperatore vel
Rege recipiunt, ad dandum vel solvendum ali-
quid, nulli penitus sint ad stricti: nam pecunia
que tali pretextu persolvitur, OFFICIATIS
DEBETUR. CUM ERGO IPSI PRIN-
CIPES ELECTORES CUNCTIS IM-
PERIALIS CURIAE PRÆSINT
OFFICIIS, SUOS ETIAM HABEN-
TES IN OFFICIIS HUIUSMODI
SUBSTITUTOS, datos ad hoc à Romanorū
principibus, & dotatos: videtur absurdum,
quòd substituti officiales, à suis superiorib. quo-
cunque quesito colore, encenia postularent, nisi
 forte

Officiales
 qu.

forte ipsi principes Electores sponte & liberaliter his aliquid largirentur. Quis hic non videt, ipsum Imperatorem Officialium nomine ipsos Electores intelligere? Testimonio itaque tantorum autorum stamus, donec meliora allata fuerint.

Postremo, ad præcedentes rationes quod attinet, etsi probabilibus conjecturis nitantur, & historiarum perito ingeniose sint excogitatae: non tamen usque adeo firmæ ac validæ sunt, ut id quod sibi pollicetur Panvinius, evincere queant: quinimò rectè rem totam ac diligentius consideranti, communem sententiam scriptorum contra ipsas immotam subsistere apparet. Sed de rationibus Onuphrii satis.

*QUA RATIONE COMITIIS
Imperatoris alii quoque principes, quam Electores, apud Chronographos inter-
venisse legantur.*

CAP. XI.

IAM excusis Onuphrii rationibus, earumque infirmitate demonstrata, ordo exigat, ut ad testimonia ex variis authoribus hinc inde pro confirmatione sententiæ suæ agglomerata, respondeam. Accum statuatam ex communi authorum sententiæ,
Septem

Septem viros ante tempora Friderici II fuisse institutos : exponam , qua ratione præter septem principes Electores, alii quoque complures Electoria dignitate minimè insigniti, comitiis Imperatoriis interfuisse, & crebrò suis suffragiis Imperatores elegisse, apud historicos in variis locis memorentur. Id etenim ni factum fuerit, frustra omnis labor in præcedentibus explicandis exhaustus erit. Major siquidem in vera locorum accumulatorum conciliatione, quàm præcedentium rationum refutatione victoriæ spes sita esse videtur. Idq; cum animadvertirem, diligenter accurateque mihi cogitandum duxi, quomodo tot autorum testimonia instar aciei hastatorum condensata, uno impetu perumpi possent. At quo magis magisque de ea re cogitavi, tanto inextricabilior difficiliorque est facta, ita ut sæpius in Panvini sententiam concedendum, & hasta abjecta ex arena secendendum arbitrarer. Verùm dum pertinacius insto, ac nihil quod ad tam difficilis nodi dissolutionem pertinere posset, inquirere atque rimari desisto, fit ut mihi fortè fortuna, quasi Deus ex improvise apparens, liber pervetustus *De jure Casareo, regio, feudali ac nationali inscriptus* ad manus veniat: quem cū avidè percurro, invenio in eo cū alia
multa

*Liber de
 Jure Casareo
 & re-*

multa utilia circa feudales successiones,
 tum verò ritus ac jura olim in Imperio ob-
 servari solita. Inter quæ & locum ad ex-
 pediendum nodum ex variis autorum te-
 stimoniis, ab Onuphrio contra Septemvi-
 rorum veterem in eligendo Imperatore
 prærogativam convolutum, perquam ap-
 positum. Eo ergo lecto, quin gaudio ex-
 ultarem, continere me non potui. Etsi
 enim libri paucis hucusque cogniti, non
 eam fidem fore cernerem, ut ejus autorita-
 te contra quoslibet irrefragabiliter niti pos-
 sem: tamen cum in eo alia quàm plurima
 tradantur quæ hodie abrogata, olim autem
 in usu fuisse, ex historiis constat: nec ad ho-
 rum locorum dissolutionem, ejus autorita-
 tē sequi atq; amplecti dubitavi. Ut etenim
 aliis omnibus Juribus antiquis, tam publi-
 cis quàm privatis, quæ in eo commemo-
 rantur, omissis, eorum saltem unum atque
 alterum exemplum proferam, quæ autor
 libri istius circa jura Electorum in usu fuis-
 se tradit, jam autem abrogata vel immuta-
 ta esse cernuntur. Inter alia tradit, Mo-
 guntinum primam vocem in electione ha-
 bere: & Palatino Rheni, Imperatore de-
 functo, jus convocandi Electores cum
 archiepiscopo Moguntino commune es-
 se. Illi quidē sub pœna proscriptionis, huic
 verò:

*gio, &c. quæ
 tam Fran-
 cofurti im-
 pressus est.*

verò sub pœna censuræ Ecclesiasticæ. Deinde Bohemum, quantumvis inter Electores numeretur, jus eligendi non habere. Quis hæc immutata non novit? Hodie siquidem ex constitutione Carolina, Moguntinus coelectorum suorum suffragia perquirit: quo facto, ipsi viceversa ejus intentionem requirunt: itidem solus Moguntinus, cæteris Electoribus patentibus literis, diem, locum & tempus electionis indicat: & Bohemus tanquam primatum inter laicos Electores obtinens, tertiũ suffragiũ habet. At olim secus fuisse (ut autor libri refert) Historici literis proditũ reliquere. Nã Moguntinum olim primam vocem habuisse, testatur Radevicus lib. 3. cap. 16. & Palatino jus convocandi Electores fuisse, Cuspinianus in vita Caroli IIII, non longè à principio, & rursus in vita Regis Ruperti tradit. Bohemum verò in electione minimè necessarium fuisse, autor gravis est Cardinalis Hostiensis in sæpius allegato c. venerabilem. s. verò cum aliis quàm plurimis autoribus. Cum ergo non tantum in his, sed & in aliis, tradita ab autore libri memorati, cum Historiis consentiant, quis ejus auctoritatem in hac re quoque nõ discrepantem ab historiis, aspernandam arbitrabitur? Accessit postea ad confirmandam
apud

apud me autoritatem libri ejus, quòd doctissimum virum ac rerum Germanicarum illustratorem eximium, Sebastianum Munsterum ex eo Cosmographiæ suæ Germanicæ lib. 3. non tantum peculiare caput (nescio qua de causa in Latino exemplari omis- sum) de Juribus nationalibus conditis post translationem Imperii ad Germanos, inseruisse: sed & eundem, tanquam vetera Germaniæ jura continentem laudasse compererim: ea commemoratione adjuncta, sibi primum anno Domini 1543. à consule Basiliensi Adelbergo Meiero, omnis antiquitatis studioso communicatum fuisse. His ergo rationibus persuasus, autoritatem memorati libri, ad nodi ab Onuphrio variorum testimoniorum coacervatione connexi, dissolutionem allegare atque proferre non vereor, omni dubitatione seposita, viros candidos atque sinceros, re ipsa perpensa, concessuros hujus loci subsidio, nodum inexplicabilem aliàs, aptissime atque facillime tanquam Tenedia bipenni incidi posse. His itaque præmissis integrum caput, in quo de Electoribus agitur, numero tricesimum, de verbo ad verbum fideliter redditum

subijciam, cujus titulus
hic est:

*Sebastianus
Munsterus.*

*Adelbergus
Meierus.*

QUI REGEM ROMANUM
eligere debeant.

REGEM Romanum tres principes se-
culares. Et quatuor laici, creant: Episco-
pus Moguntinus cancellarius per Germa-
niam, primam vocem in Electione habeto: Episco-
pus Treverensis secundam. Coloniensis tertiam.
Laicorum principum duo eligunt: duo suffragan-
tor. Primus in electione Comes Palatinus Rhe-
ni, Imperii dapifer, primam scutellam ponito in
mensa ante Regem: Secundus in electione Dux Sa-
xonie, Imperii marschallus, Regi enssem praefer-
to: Trevirensis cancellarius regni Arelatensis e-
sto: Et haec tria officia Electorum connexa sunt.
Tertius, Marchio Brandeburgensis, Camerarius
Imperii, Regi aquam abluendis manibus praebet.
Quartus, Rex Bohemiae, Imperii pincerna, Re-
gi Romanorum primum scyphum ad bibendum por-
rigit. Veruntamen sciatur, Regi Bohemia nullum
jus electionis esse nam Germanus non est, reliqui
autem quatuor et a patre et matre: vel ab alte-
ro tantum Germani sunt, et cum Electionem face-
re volent, conventum Francofurtum indicunt: Mo-
guntinus, sub poena censurae Ecclesiasticae: Pala-
tinus, sub poena proscriptionis. Consortes electi-
onis, qui cum ipsis eligent, deinde alios principes,
quotquot eorum habere poterunt, convocato. Nu-
merus principum ideo inaequalis est constitutus, ut
tribus unum eligentibus, et quatuor alium, tres

tan-

*tanquam pauciores, sequantur quatuor: idq; i-
ta in omni electione servatur.*

Ex hoc ergo Capite quilibet mediocri-
ter prudens, etiã me tacente, præter alia &
hoc facile videre potest, olim aliã in eligen-
do Imperatore vel Rege, formã ac rationẽ
per Electores servatã, q̃ quæ hodie recepta
est. Nã etsi tũc electores eq; ac nũc essent, &
in eligẽdo Romanorũ Rege vel Imperato-
re prærogativã haberẽt; tamẽ reliqui prin-
cipes non penitus ab electione excludeban-
tur: sed ab Electorib. tanq̃ Imperii primori-
bus vocati, regis futuri electioni adhibebã-
tur. Hodie verò (ut notum est), aliis Princi-
pib. remotis, omnis eligẽdi potestas ad solos
Septem viros translata est. Hujus rationis
cum historici non meminerint, vel quòd
usq; adeò tunc tẽporis nota fuerit, ut eã lite-
ris tradi minimè opus fuerit, vel q̃ ipsos ea
latuerit, nec Onuphrius (etsi aliàs in histo-
riis exercitatissimus, ejus pbabiliter gnarus
esse potuerit: factũ est, ut dum tot authorũ
loca à se summo studio observata cũ ratio-
ne eligẽdi Regis jã longissimo tẽpore obser-
vata, cõciliare ac conformare nequiverit: E-
lectores tũ tẽporis fuisse neget, ac cõmuni
authorum opinione de Electorum institu-
tione reiecta, regem Romanorum, vel Im-
peratorem ab omnibus regni Germanici

principibus tam Ecclesiasticis quàm secularibus post tempora Othonis III æquè atque ante ea creatum fuisse statuatur.

Verùm considerato eo quod jam diximus, nimirum vetustis temporibus Principes non penitus à conventibus vel deliberationibus in quibus de electione Imperatoris vel Regis tractaretur, exclusos: imò ad eos per principes Electores vocatos fuisse, loca ab Onuphrio collecta, neutiquam opinioni communi de Electorum institutione adversantur: sed omni difficultate sublata, cum ea ad optimam facillimamque concordiam reducuntur. Nam tam Ecclesiastici quàm seculares à Moguntino ac Palatino vocati, Electionibus interesse, sunt soliti: ita tamen, ut Electores tanquam precipui, voce ac electione cæteris anteirent, ac quæ ex commodo & usu reipublicæ esse arbitrarentur, proponerent, reliquis ea approbantibus: vel salute publica ac necessitate exigente, ea emendantibus. Atque hinc est, quòd aliquoties apud Chronographos legitur, Imperatorem ab universis Germaniæ principibus electum: non quòd potestas eligendi æquè apud omnes fuerit, sed quòd Electorum votis atque suffragiis aliorum Principum approbatio accesserit.

Etsi autem hi qui prærogativa eligendi
caruere

caruere, Electorum auctoritati suppressa, Imperatores interdum constituisse legantur, ut à Vuirzburgensi & Metensi episcopis, Bavariæ & Carinthiæ Ducibus Rodolphum Sueviæ ducem tempore Heinrichi III regem Forchemii electum esse, Urspergensis & Lambertus Schafnaburgensis referunt, tamen id nostræ sententiæ parum obstat. Nam etsi tales numero interdum superiores fuerint: semper tamen in eorum factione fuerunt, quibus jus eligendi competiit, ut non tam ipsorum auctoritate quàm horum res gesta videatur. Sic namque in electione Rodulphi, prædicti episcopi & duces, Sigefridum Moguntinum, fautores Othonis III contra Philippum Suevum Coloniensem & Trevirenses, capita factionis suæ habuerunt.

Et si quis justo dolore excandescens talia non tam jure & consuetudine, quàm scelere pontificum Romanorum facta esse dicat, næ ille veritatis scopum attigerit. Quoties etenim pontifices Romani vel odio nostrorum Imperatorum, vel vesana dominandi cupiditate incensi, plus quàm civilia bella diabolico furore in Germania excitarunt, ut Imperii majestate eversa ac Electorum suffragiis sublatis, ipsi soli tyrannidem suam liberè exercerent? Non to-

ta Ilias harum rerum historiam caperet. Et quàm horribiliter adhuc, vix centum ab hinc annis, pessimus Germaniæ deprædator & expilator insignis Æneas Sylvius, Dietherum Isenburgicum Archiepiscopum Moguntinum, non tantum fulmine pontificio, sed & armis est profecutus, quòd ad pontificis placitum se annatas soluturum & Electores convocaturum renuisset? Verùm quia querelæ, ne tunc quidem gratæ futuræ, quum necessariæ essent, hujus propositi non sunt: ideo me hic reprimo, & hæc molli tenuique brachio attigisse satis esse existimo.

Porro verò, quia ex hac Principum convocatione & usurpatione autoritatis, quã sibi elatiores ac potentiores maximè Guelphi, aliquoties in electione præter jus arrogabant, & factionibus vel eorum ambitione, vel pontificis Romani instinctu excitationis magna sæpius incommoda (quorum Polyarchia nunquam expers fuit, nec erit) exorta fuere, ut cum alia, tum verò horribilium bellorum civilium incendia contra Henricum quartum, & Suevos Imperatores commota, luculenter ostendunt. Ideo subsequenter temporibus ratio est inita, ut penes solos Imperii officiales, jure ac privilegio eligendi Imperatoris, tempore
 Ohonis

Othonis III donatos, electio Imperatoris vel regis Romanorum esset. Etsi autem quo tempore id fieri cœperit, nihil certi affirmare ausim: tamen Electores post tēpora Rodolphi Habsburgici non penitus à convocatione aliorum Principum abstinuisse, sed hos adhibuisse interdum, donec quod temporibus Caroli IIII penitus exclusi fuerint, historiæ innuunt. Siquidem electioni Rodolphi, cū alios Principes Francofurti congregatos, tum Burggravium Norinbergensem interfuisse, M. Albertus Argentinensis in suo chronico refert. Et ad Comitata celebrata post obitum Henrici VII, tres Austriæ duces ac fratres, Fridericus, Lupoldus & Albertus, cum Ludovico Bavaro, postea rege electo, venere: Naclero teste, generat. 44. Adhæc Guntheri Schuuartzburgici, contra Carolum quartum designati, electioni, non tantum Electores, sed & alios proceres Francofurti interfuisse, ita tamen ut prærogativa eligendi Electoribus concederetur, idem Naclerus generat. 46. his verbis auctor est:

Eodem anno Guntherus comes de Schuuartzenburg ex Thuringia, vir strenuus & bellicosus, qui plures conflictus prosperè absolvit, à Principib, Carolo contrariis, ut se intromittat

de regno, rogatus, renuit: tandem eo pacto annuit, si in Francofordia daretur sententia à Principibus, Regnum vacare. Convenientibus igitur Francofordiæ quatuor ex Electoribus. Et multis proceribus: datur sententia ab his, Regnum vacare, Et eisdem quatuor jus eligendi competere. Unde in die purificationis Mariæ, eodem anno, per Henricum archiepiscopum Moguntinensem, Ludovicum marchionem in Brandenburg, Rudolphum comitem Palatinum Rheni, Et Henricum juniorem ducem Saxonie, electus est prædictus Guntherus in regem Germanorum.

Cui etiam astipulatur M. Albertus Argentinenſis in ſuis chronicis, de Electione ejuſdẽ Guntheri Schuuartzburgici, ſtrenuiſſimi ac animoſiſſimi comitis, ſic ſcribẽs: Guntherus comes de Schuuartzenburg Turingen, circa quadraginta quinque annos, vir robustus Et ſtrenuus Et prudens in bellis, qui in ſervitio Henrici Moguntini, Et quondam Ludovici Principis plurimum laboravit: quiq; in pluribus conſlictibus feliciter prævalens propriis, capiendo Et vaſtando plurimum eſt ditatus, à Principib; Carolo contrarius, ut ſe intromitteret de regno, rogatur: qui primò renuens, tandẽ eo pacto annuit: Si in Frãkfurt per principes Et nobiles ſententiatũ fuerit, vacare regnũ Et Imperium: majorq; pars principum, qui ſimiliter

militer per sententiam declarati fuerint, jus habere eligendi, ipsum absque omni Symonia elegerint propter Deum dicens, se expositurum periculis pro Deo & Imperio corpus suum. Hoc facto, cum exercitu suo in campo se posuit juxta Frankfurt, feria sexta post Hilarii, anno M. CCC. XLIX, convenientibusq; inibi principibus quatuor & multis aliis baronibus, & per sententiam decreto, Imperium vacare, & eisdem quatuor competere jus eligendi, electus est in Purificatione per Henricum archiepiscopum Moguntinum, Ludovicum marchionem de Brandenburg, Rudolphum de Bavaria, Palatinum Rheni, annuente Ruperto suo fratre, capto cum Ruperto fratrueli eorum, & Ericum ducem Saxonie. &c.

Quæ quidem testimonia Chronographorum (meo judicio) satis clarè ostendunt, usque ad tempora Caroli IIII, alios principes ad comitia Imperatoria, in quibus de Electione Imperatoris vel Regis tractaretur, assumptos.

Verùm constitutione Carolina postea est introductum, ne cives Francofordenses defuncto Imperatore per omne tempus illud, quo super electione Imperatoris tractari & agi contigerit, neminem, civitatē Francofordensem, cujuscunque dignitatis, conditionis vel status extiterit, intro-

mittant, vel intrare quovis modo permit-
tant, principibus Electoribus, eorumque
nunciis & procuratoribus duntaxat exce-
ptis, prout id in ea continetur sub titulo,
Qualis debeat esse conductus Electorum, & à
quibus, circa finem. Et ex eo tempore E-
lectores in suis suffragiis aliorum princi-
pum præsentia ac adversatione onerosa li-
berati, privilegiisque Cæsareæ amplitudini
paribus donati, titulum Electoratus, antea
non usque adeò frequentem, officiis quæ
gerunt addere, authoritate crescere, & bo-
nis sibi per Imperatores collatis ditari cœ-
perunt. Ita ut nec luminibus ipsorum, qui-
bus antea multitudo aliorum principum
offecerat, quicquam hodie illustrius, nec
autoritate amplius sit.

ARGUMENTA O N U P H R I I
Coniicientis, Electorum institutionem sub
Gregorio x, ac temporibus Rodolphi exortam
infirma esse: aliis contrariis conje-
cturis probatur.

CAP. X. *Ultimum.*

EXPLICATA ratione quæ olim in comi-
tiis Imperatoriis observata fuit, ita ut
loca

loca ab Onuphrio congesta minimè cum
 opinione communi de institutione Ele-
 ctorum pugnare possint: minimè necessa-
 rium esset, ejus conjecturas de institutione
 Electorum à communi opinione alienas
 ulterius refellere; quòd eæ superius Cap. 4.
 per rationes adductas à me pro communis
 sententiæ confirmatione abundè & verè
 sint refutatae: juxta id Euripideum, *ἀλλ' οἱ
 λόγοι κρείττατα λίσσιν λόγους*, Ratio rationē ever-
 tit. Veruntamen non tam necessitatis, quàm
 superfluitatis gratia, quasdam his prioribus
 addere, & ejus cōjecturis opponere adhuc
 libet. Quarum prima est, quòd authores
 gravissimi, qui vel ipsis temporibus Rodol-
 phi, vel paulo post ea vixere, hanc instituti-
 onem Electorum Othoni tribuant; mini-
 mè id facturi, si tale quid sub temporibus
 Rodolphi accidisset. Nam ut taceam, to-
 ties jam memoratos authores Leopoldum
 de Babenberg, Marsilium Patavi-
 num, aliosque, qui nondum quadragin-
 ta annis exactis à tempore Rudolphi, ma-
 ximis gravissimisque reipublicæ negociis,
 sub Ludovico Bavaro adhibiti fuere,
 & Othoni hanc institutionem tribuere, *Ptolemæo*
 non autem Rudolpho: quin & Ptole- *Lucensis.*
 mæus Lucensis, historicus celebris,
 qui

qui (ut Blondus lib. 8. Decade secunda testatur) temporibus Rudolphi & Adolphi Nassaviensis vixit, & historiam pontificum Romanorum, usque ad Celestinum v deduxit, referente Volaterrano: non Rudolpho, sed Othoni III hanc institutionem tribuit. Etsi enim ejus historia haecenus nondum edita, sed (Deo volente) brevi in lucem proditura sit, tamen quid de Electorum institutione scripserit, ex Platina cognosci potest, qui eum in vita Gregorii v de institutione Electorum citans, in hæc verba scribit:

Hos autem Imperatoris eligendi auctoritatem primo habuisse Ptolemæus refert: Archiepiscopum Moguntinum, Germaniæ: Archiepiscopum Trevirenses, Gallia: Archiepiscopum Coloniensem, Italia nomine. His additi quatuor principes, Marchio Brandenburgensis, Imperatoris post electionem camerarius: Comes Palatinus, quidapes: Dux Saxonie, qui enses fert. Sunt qui scribant Bohemie Regem, septimum Electorem, Imperatoris pincer nam esse: hisq; in eligendo additum esse, ad tollendam discordiam partium. ad utros enim inclinasset, ea pars certè potior habebatur. Tulisse hoc iniquo animo Francos ajunt.

Quis ex hoc loco non videt Ptolemæum, qui tempore Rodulphi vixit, nō huic, sed

sed Othoni III institutionem Electorum tribuere: & quantumvis Onuphrius vir doctus sit, quis auctoritatem Ptolemæi, quàm ejus conjecturas, sequi non mallet? Antiquior siquidem, maximè in talibus rebus, melius præsumitur scire veritatem. 20. distinct. c. de quibus facit 16. q. 1. c. sic vive. & ibi notatur, & in c. jejunium. 66. dist. cum aliis multis similibus.

Secundò, cum Onuphrius hanc institutionem Electorum, in magno Concilio Lugdunensi receptam & confirmatam arbitretur, certè valde ineptos ac negligentes scriptores ejus seculi fuisse necesse esset, qui cùm res minimas ac futilissimas in eo Concilio decretas descripserint, & ad posteritatem transmiserint (ut, in templis esse abstinendum à confabulationibus: genua in missificatione flectenda: negociationes in cœmeteriis non esse faciendas: domus alienigenis usurariis, ad exercendum fœnus, non esse locandas: cum aliis ejus generis infinitis, quæ ab Antonino tertia parte historiarum, tit. 20, capitulo 2 referuntur) rem tanti momenti silentio prætermiserint. Id quod mihi tamen verisimile non est: maximè cum Pontifices de hac institutione Electorum, æquè atq; de translatione Imperii, in omne ævum gloriari potuissent.

*Decreta
concilii Lug-
dunensis.*

Tertiò

Tertiò, quis Rudolphum permissurum fuisse putabit, ut Othocarus Rex Bohemię, qui ejus electionem summis viribus impedire annixus erat, Electoratus dignitate insigniretur? Taceo bellum ab Othocaro contra Rodolphũ motum, quòd id post institutionẽ Electorum accidisse necesse sit. Hostis honorib. privari, non augeri vel condecorari consuevit. argumẽto l. naturalẽ. §. fin. ff. de acquir. rer. dom. & facit l. libertas. ff. de stat. hom. & Instit. de his qui sunt sui vel al. jur. §. 2. & l. ex hoc jur. ff. de justitia & jur.

Quartò, cum tempore concilii Lugdunensis, in quo hanc institutionẽ Onuphrius confirmatã putat, Rodolphus jam Imperator fuerit: & tantam rẽ ejus consilio adhibito, haud dubiè geri & confici oportuerit: cui verisimile erit, eũ extraneos filiis propriis præposituros fuisse in dignitate longè amplissima? Certè ut ducatum Austrię vacantem filio Alberto, non magno temporis spacio post interjecto, contulit: sic eũ haud dubiè ad dignitatem Electoratus evecturus fuisset. Unusquisq; etenim filios magis quã alienos diligere præsumitur. l. isti quidem. ff. quod metus causa, l. si pupillorum. §. si pater. ff. de reb. eorum. l. nec ei. ff. de adopt. §. fin. Instit. de noxal. Et pater semper præsumitur capere salubrius consilium in favorẽ filiorum

filiorum, l. nec in ea, ff. de adult. Et dilectio dicitur esse inter patrem & filium, 3. q. 5. c. non omnis, & not. per loh. Andr. de reg. jur. c. non est sine culpa, lib. 6.

Non addo hisce, quòd cum Austria jam *Austria cor*
inde à temporib. Friderici secundi (qui eã *& clypeus*
cor ac clypeum Romani Imperii appellavit) e- *Imperii.*
jus potentia ac autoritatis, usq; ad tempora Rodolphi fuisset, ut nulli alii ducatus cederet, Rodolphus non minorẽ ejus, quàm alterius ducatus, rationẽ in distributione electoratum verisimiliter habiturus fuisset.

Cui denique persuadebitur, Gallos, qui jam inde ab Hugone Capeto quàm gravissimè tulerant, majestatem Imperii apud Germanos mansisse, omnemq; lapidem quàm sæpissimè moverant, de ea per quoddam Senatusconsultum in Galliã reducenda, eo tempore quo Pontificẽ tali præsidio circumseptũ, iisq; locis inclusum tenebant, ut ne-
tquam ipsorum manibus elabi posset, permissuros fuisse, Lugduni talem constitutionem condicac promulgari, qua omnis aditus Imperii recuperandi, ipsis quodammodo in perpetuum præscinderetur? Ita Gallorum animos Imperii cupidos esse cõstat, ut quis citius Conciliũ hoc nunquam Lugduni celebratum, quàm tale quid præsentibus Gallis decretum fuisse, crediturus sit.

Ultimò

Ultimò, Onuphrius hac Electorum institutione, Pontifici Romano jus electionis, quod in Imperatoribus eligendis haberit, è manu ereptum, atque in septem tantum hominum potestatem collatum esse conqueritur: cum admiratione incredibilis hujus seculi ignaviæ, quæ id tam patienter ferat. At Pontifici Romano, vel ejus legato, jam temporibus Philippi Suevi & Innocentii tertii, nullum jus in electione competebat, nec etiam id Pontifex sibi arrogabat: ut clarè liquet in toties jam allegata decretali, *Venerabilem*, statim post principium: quomodo ergo jure eligendi Imperatoris, temporibus Philippi Suevi, Pontifici non competente, id temporibus Rodolphi ei adimi potuit? vel ejus ademptio ad ea tempora referri? Privatio siquidem præsupponit habitum, l. decem. & ibi Bartolus & doctores notant, ff. de verbor. oblig. cum aliis similibus

Verùm quid plures conjecturationes, ad evertendas Onuphrii, conquiri necesse est, cum eæ sua infirmitate vix consistentes facili momento corruant? Nam quale hoc sit argumentum, quòd post tempora Rodolphi multa Electorum mentio, nulla verò antea fiat: suprà capite sexto est declaratum.

Alterum

Alterum ut debilius, sic ridiculum quoque non nihil est, quo conjicit, errorem eorum qui hos septem Electores à Gregorio v institutos fuisse existimant, ex similitudine nominum subortum, v pro x ponentium. Si enim contra manifestam Chronographorum atque aliorum scriptorum autoritatem ita conjicere licet, quis mihi vitio verterit, si Electores tempore Gregorii II institutos esse dixerim: quò is Germanos è tenebris opera Bonifacii Angli monachi erutos, recepta veritatis luce ornare voluerit, Apostolo Germanorum Bonifacio præ cæteris primatum inter Electores concessio: aliis per errorem pro II, quæ linea recta scribenda sunt, v flexu incurvato scribentibus? Vel si dixerò, Electores à Gregorio nono institutos, quò Fridericū secundum ab eo excommunicatum deponerent, aliumq; Imperatorem crearent, an malè conjecturasse videbor? Nec tertium quod adfert, majoris momenti est, arbitrans, cum in eo Concilio nova Pontificis Romani electio instituta fuerit, fieri potuisse, ut de episcoporum Germaniæ consensu, idem de Imperatoriis comitiis factū fuerit. Nam initio, ut prætermittam omnes rationes contrarias superius positas, itidem conjecturas præcedentes, cum Pon-

tifices Imperii formam cum papatus ordinatione conformare voluerint, quare non totidem Electores, quot Cardinales, constituerunt: maximè cum quæ dignitas est Cardinalium, eadem quoque Electorum esse feratur? & tantà ne principes Germaniæ pontificis Romani mancipia fuisse existimabuntur, ut quicquid ipse statuerit, paucis Episcopis consentientibus; id ipsis absentibus & non consentientibus, ratum habendum fuerit? Id verò minimè mihi probabile videtur. nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. c. quod omnes, de reg. jur. in 6. cum multis similibus. Nec præsumitur Princeps vel Papa velle auferre jus alterius contra justiciam. l. 2. §. meritò, & §. si quis à principe. ff. ne quid in loco publico, & est text. in c. ex tuarum. de usu & authoritate pallii. Felinus in c. causam quæ, in verbo Interpretatio, de rescriptis. Jason in l. 1. & in l. fin. in 4. col. ff. de constit. princip.

Quandoquidem itaque ex præcedentibus satis manifestè apparet, novam Onuphrii sententiam de electorum institutione, rationibus perquam infirmis suffultam, ita ut contra eas communis opinio historicorum, institutionem Electorum Otthoni tribuentium, inconcussa subsistat: ego instituto

stituto meo ad exitum (Dei favore) perdu-
 cto, finem huic opellæ impono. Cætera,
 quæ de Electorum numero & privilegiis,
 aliisq; ad hos pertinentibus dici possent, in
 alium locum reservans : ac hæc qualiacun-
 que sint, iudicio æqui lectoris permittens.
 Neq; etenim adeò mihi mea arrident, ut ea
 potius instar Suffeni ipsemet mirari atq; ex-
 tollere, q̃ aliorũ censuræ subicere malim:
 memor dicti Platonici, quod lib. 5. de Legi-
 bus extat. τὸ γὰρ ἀληθεῖα γε πάντων ἀμαρτημά-
 των, διὰ τὴν σφοδρὰ εαυτῶ φιλιαν αἰτιον ἐκάστω γίγνε-
 ται ἐκάστου. τὸ φλέται γὰρ πρὸ τοῦ φιλεῖν ὁ φιλῶν,
 ὥστε τὰ δίκαια καὶ τὰ ἀγαθὰ, ἔτα καλὰ κακῶς κρινῶ
 τὸ αὐτῶ πρὸ τοῦ ἀληθοῦς ἀεί τιμᾶν δεῖν ἠγνούμενος. ἔτε
 γὰρ εαυτόν, ἔτε τὰ εαυτοῦ χρεῖ τὸν γε μέγατ ἀνδρα
 ἐφόμενον σέργειν. ἀλλὰ τὰ δίκαια εαὐτὶ παρ' αὐτῶ εαὐ-
 τε παρ' ἄλλω μάλλον τυγχάνη φραττόμενα. Ac ut à
 viris bonis omnia æqua mihi polliceor, sic
 ut Onuprius statuatur velim, hoc qualecunq;
 sit, non eo animo à me susceptum, ut laudi-
 bus ejus, quæ ei ob multarum rerum utilif-
 simarum investigationem debentur, detra-
 herem: sed ut veritas rei tam nobilis, ac nō
 solum dignæ, sed & necessariæ cognitu, e-
 rueretur. Cognita est Germanis plerisque
 ejus, in antiquitatibus indagandis industria,
 & probata eruditio. At si quis ejus senten-
 tiæ in rebus patriis, quarum fortè æq; ac il-
 le studiosus est, minimè subscribat, ac ut ex

tripode profectam veneretur: id non tam ex invidia vel obtrectatione laudum ejus, quàm amore veritatis fieri existimet: nec usque adeò graviter atq; moleste ferat, plusculum diligentiae ac veritatis in Italis scriptoribus à Germanis interdum requiri, videntibus aeq; ac aliis exteris, quàm frequenter ipsi falsa & à fide historica penitus aliena scribant. Ac etsi Onuphrius Italos hoc excusatos putet, quòd rebus Germanicis tradendis minimè vacent: quàm tamen hoc dictum indignum historico sit, non dubito quin ipse videat. Nam cum prima lex historiae sit (teste Cicerone) ne quid falsi dicere audeat: deinde, ne quid verè non audeat; ne qua suspicio sit gratiae in scribendo, nec qua similitatis: an hi historias vel fabulas scribere videbuntur, qui falsa p̄ veris, in cõperta p̄compertis referre nō erubescunt? Imò dum se historias scripturos pollicentur: hoc ipso se ad veritatis indagatiōem, & mendacior ùfugā, sive res sint patriae, sive exoticæ, astringunt. In quo lati⁹ oratio excurrere gestiret: sed eam intra metas hoc tempore contineo, quò id quod in initio pollicitus sum, præstem, & ad finem exoptatum eò maturius perveniam. Hoc tamen præterire non possum, cum Onuphrius Germanis allegata religionis mutatione, magnam rerū novan-

van-

vandarum ambitionem exprobrarit: cupere me, ut quod in his reprehendit, ipsemet vitate studuisset: ne utiquam tunc eum scripturum fuisse, se vehementer mirari incredibilem hujus seculi ignaviam, atq; in primis Romani pontificis: post Italiae, deinde caeterorum principum inertiam, qui omnes comitiis Imperii interesse soliti, jus tantae electionis sibi e manibus eripi, atq; in septem tantum hominum potestatem collocari, permiserint. Ut etenim Germanis injuriam insignem facit, qui ne utiquam religionem mutarunt: sed vitia, quae pontificum Romanorum ignavia & impietate in Ecclesiam irrepsert, mandato Dei, suam vocem omnibus rebus humanis anteferre jubentis, correxerunt: sic ipse, qui praesentem Reipub. formam mutatam cupit, non solum in reprehensionem innovationis, sed & suspicionem seditionis incidit. De qua plura dici possent, nec immerito: sed haec admonuisse, non exaggerasse volui: sperans Onuphrium haec non tantum amice accepturum, sed & de Germanis in posterum aequius senturum esse.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text at the bottom of the page.

J
P
T
O
V

L



ΑΝΑΜΝΗΣΙΣ

JURIS QUOD
IN APPROBANDIS
PONTIFICIBUS IMPERA-
TORES HABUERUNT CUM BREVI
commemoratione, quomodo vice
versa, Imperatoriæ Majestatis con-
firmatio à Pontificibus intro-
ducta & usurpata sit;

COLLECTA EX VERIS ET FI-
delibus historiarum monumentis.



ARENORATI.

Impensis LAZARI ZETZNERI Bibliopol.

M. DC. VIII.

HISTORICA - NAR-
RATIO JURIS, QUOD
IMPERATORES IN APPROBANDIS
Pontificibus Romanis habuere, & quomo-
do vice versa, eo Imperatoribus adempto,
Pontifices, Cæsarum confirmandorum
rejiciendorumve autoritatem
sibi usurpare cœ-
perint.



ÆPIUS mihi de rerum hu-
manarum vicissitudine co-
gitanti non minima admira-
tione digna est visa, juris
Imperialis in Pontificibus
Romanis approbandis, in
contrarium vice versa mutati consideratio.
Quis enim non admiraretur, eos qui olim
serui servorum fuere, suasq; cervices Impe-
ratoribus secandas non tantum humillimè
præbuerunt, sed & omnib. Christianis, sub i-
ræ divinæ comminatione minimè ipsis re-
sistendum esse præceperunt: eò potentia
evectos esse, ut Imperatores, qui postea,
meliorib. temporibus divina gratia illuce-
scentibus, ipsorum defensores approbato-
res que fuissent, miserabili rerum vicissitu-
dine, non solum ipsos confirmatores, sed

& oppressores & hostes dignitatis suæ agnoscere & ferre cogentur? Quare cum & ejus vicissitudinis cōsiderationem ingeniis bonis dignam, & ad multarum maximarum rerum commonefactionem utilē putarem; quæ olim Pontificum approbationis ab Imperatoribus impetrandæ ratio fuerit, & quomodo ea fraude ac scelere Pontificum abolita, hi quod antea acceperant, postea dare cœperint, ex fidelibus historiæ monumentis breviter explicabo: de hoc æquum ac candidum lectorem commonefaciens, in hac narratione id observatum, ut non tantum autorum, ex quibus ea collecta est, sententiæ, sed & verba, quoad id fieri potuit, retinerentur. Cui itaque suspicio qualiscunque suboritur, is autores ipsos adeat, perspecturus nihil hic affectibus tributum, sed omnia fide ac veritate historica relata esse, idque cum bonos citra amarulentiam facturos sperem, & de improborum judiciis non curem, quæ Juris Cæsarei in approbatione Pontificum ratio fuerit, quo tempore cœperit, quibus rationibus confirmata sit, ac quando & quibus Pontificum machinationibus defierit, brevissimis exponam.

Electionem itaque Episcopi seu Pontificis Romani in initio nascentis Ecclesiæ, ut
& alio-

& aliorum Episcoporum, penes populum & clerum fuisse, historia tradunt, Testatur id præter alios Nicephorus libro v. capite 26. Ecclesiasticæ historiae, cum Fabianum XXI Pontificem Romanum, populi & Episcoporum suffragatione in Episcopale thronum collocatum refert.

Ac duravit hæc eligendi Pontifices ratio, ad ea usque tempora, quibus Imperatores Romani Christiana fide recepta, Ecclesiarum curam mandato divino ad se quoque pertinere, & plurimum Ecclesiæ Christianæ interesse, ut idonei, pii ac boni viri Pontificatui præficerentur, cognoverunt. Tunc enim vana cleri ac populi electio habita fuit, nisi Imperatoris autoritate confirmata fuisset: & si quis, consensu Imperatoris neglecto, sedem Pontificalem invasisset, mox ea dejectus, etiam exilio temeritatis suæ poenas dedit.

Hinc Justinus Imperator Hormisdæ primo, Mauritius Tiberii gener Pelagio secundo & Gregorio primo, alii aliis sedis apostolicæ autoritatem confirmasse leguntur. Ediverfo verò dissensione in electione Bonifacii primi inter Eulalium competitorum & ipsum exorta, Honorius Imperator Occidentis Mediolani re cognita, ambos ex urbe pelli iussit; Bonifacio tamen deinceps

*Platina in
Vita Severi
ni primi.*

*Luitbram
dus in vita
Pontificii.*

deinceps revocato, & Urbis Præsule constituto, eo quòd literis ad Imperatorē suppliciter scriptis, Episcopatum sibi ab Imperatore confirmari, & super electione ac ordinatione Romani Episcopi legem contra sacerdotum ambitionē ferri rogarit, ut est textus in c. 1. Distinct. 97. continens epistolam illam supplicem, cum responso Honorii truncato, altera ejus parte posita in c. si duo. 79. D.

Cuspinianus in vita Justiniani minoris.

Cum autē Imperatores Constantinopoli habitantes, suos Ravennæ vicarios, quos Hexarchos dixerunt, constituerent, eos in huius juris societate admiserunt: ipsisq; inter cætera dignitatis privilegia, Pontificis quoque Romani approbandi auctoritatem contulerunt, sicuti de Severino legitur, quod in demortui Papæ Honorii locū surrogatus, ab Isaacio totius Italiae Hexarcho in Pontificatu confirmatus sit.

Nicephorus lib. 16. cap. 35.

Quin & Italia à barbaris atque tyrannis cum omnibus juribus Imperialibus occupata, illi quoq; Episcopi Romani constituendi auctoritate usurpare, Romanis ipsorum ordinationi humillimè acquiescentib. Testatur id historia schismatis inter Symmachū & Laurentiū à Theodorico Veronense sublata, & cōfirmatio Agapeti primi & Sylverii primi à Theodato Gotho, eoque Arriano, facta. Etsi

Etsi autem Symmachus Simplicius Theodorico sese Ravennæ continente, cristas erigere, ac laicorum ordinationes convellere attentarit, Romæ synodo habita, in qua contra canones esse decrevit, ut laicis religiosorum electio concedatur: tamen res ipsa clamat, ac temporum præcedentium & subsequentium historia evincit, institutionem Pontificis non tantum penes legitimos Imperatores, sed & Imperii usurpatores fuisse: eamque non tam contra Canones (Symmacho ejusque Symmystis videtur) quam contra irregularem ipsorum dominandi libidinem & effrenatam ambitionem esse, Bonifacii tertii, qui judicio Phocæ primatum obtinuit, constitutio ostendit, qua statuit electionem Episcopi à clero pariter & populo fieri, eamque ita ratam haberi, si à principe civitatis sit approbata, quod hac via antiquis canonibus conformi, vix simonia aut alia corruptela ingredi possit, ut est textus in c. In nomine Domini. versic. Mox Christi clericos. 23. dist.

At illam confirmationem non gratuitam, sed pecunia redimi solitam fuisse, inde conjicere licet, quod Agatho Papa apud Imperatores, Constantinum, Heraclium & Tiberium, obtinuerit, ut quantitas illa, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis Romani,

*c. bene qui
de. 96. dist.*

Romani, remitteretur, prout id ex gestis Pontificum Romanorum refertur c. Agatho. 63. distinct.

*Platina in
vita Bene-
dicti. Sup-
plement.
Chronico-
rum.*

Cæterum circiter annum Domini MC. LXXXV. ab hac ratione aliquantulum recessum est. Constantinus enim Quartus, cognomento Barbatus, cum Imperio præesset, Pontifice Romano Benedicto secundo, hominis sanctitate permotus, sanctionem emisit, ut quem deinceps clerus, populus, exercitusque Romanus Pontificem delegisset, is plenam obtineret potestatem, nulla aut Constantinopolitani Principis, aut Italiæ Exarchi expectata auctoritate, ut antea fieri consueverat.

Hæc Constitutio deinceps usq; ad tempora Caroli Magni observata, magnis turbis aliquoties occasionem dedit, clero in electione sæpius ab exercitu dissentiente, & qualibet suæ factionis partes acriter propugnante, ut ejus rei exempla videre est cum in vitis aliorum, tum verò Cononis & Sergii primi.

Carolo autem Magno post debellatum Desiderium Longobardorum regem, regnumque eorum eversum, Romam veniente, Adrianus Papa, donatione eorum que Pipinus Gregorio tertio dederat, amplioribus privilegiis à Carolo confirmata, bene-
merita

merita Caroli remuneraturus, cum centū
 quinquagintatribus Episcopis, quos con-
 vocarat, decretum perpetuum fecit, *Nul-
 lum posthac fore neque Romanum, neque alio-
 rum templorum Antistitem, nisi quem Carolus
 successoresq; ejus sciverint & jusserint*, refra-
 gantes hujusmodi Patrum decreto, diris
 devoti: & nisi resipuerint, adjecta proscri-
 ptio. Defuncto itaque Præsule quopiam,
 sacerdotos lituum cum annulo ad aulam
 mittebant, cui ea Princeps solenni ritu tra-
 debat, is ejusdem templi Rector designa-
 tus erat.

Sic igitur jure Pontifices approbandi,
 quod Constantiniana lege ab Imperatori-
 bus ad clerum, populum, exercitumq; Ro-
 manum translatum erat, Carolo ejusque
 successoribus restituto, factum est, ut nul-
 lus Pontificatum inire voluerit, nisi Impe-
 ratoris approbatione intercedente, & cla-
 rissimi atque amplissimi quique viri, spe di-
 gnitatis augendæ, & adipiscendi sacerdotii
 illecti, absque stipendio in omnibus Princi-
 pis dicto obedientes aulam frequentarent.

Hinc filio Caroli *Ludovico* Pio imperan-
 te Stephanus IIII. Pontifex nulla interpo-
 sita Imperatoris autoritate electus, ipsemet
 ad Ludovicum pro consensu obtinendo in
 Gallias Aureliam profectus est, & à Guido-
 no

*c. Adria-
 nus. 63. di-
 stinct.*

*Aventinus
 lib. 4.*

*Aventinus
 ubi supra.*

e. Lectis. 63.
dist.

ne Comite de consecratione Episcopi Rea-
tini recens à clero populoque electi, roga-
tus, creatum Canonicè & unanimiter ordi-
nare negavit, quòd Imperialem absolutio-
nis epistolam pro more non attulisset.

Platina in
vita Pasch.

Paschalis quoque ejus successor incon-
sulto Imperatore Pontifex creatus, hanc
ob rem ubi Pontificatum iniit, statim lega-
tos ad Ludovicum misit, qui ejus rei culpã
omnem in clerum & populum rejicerent,
quòd ab his vi coactus esset Pontificum
manus obire. Accepta hac satisfactione,
Ludovicus respondit, populo & clero, *Ma-
jorum pacta servanda esse, caverent ne dein-
ceps majestatem laderent.*

e. ego Ludo-
vicus. 63.
dist.

Bibliothecarius, referente Platina, scri-
ptum reliquit, Ludovicum Paschali cete-
risque post eum, confirmasse possessionem
bonorum à majoribus ipsius Ecclesiæ col-
latorum, & electionem permisisse liberam,
ut quæ omnes Romani judicassent eo mu-
nere dignum, is pro Pontifice haberetur.
Idque pactum, ut & alia ejusdem farinae,
Gratianus decretis suis infarsit. Verùm
quantum fidei ejusmodi scriptis tribuendũ
sit, quilibet sani judicii facilimè perspicit.
Nam ad Bibliothecarium quod attinet, ejus
autoritas ut suspecta metitò rejicitur, ut po-
te qui Papæ domesticus, magis domini sui
favorem

Anasta-
sius.

favorem quàm veritatem historiæ respexisse credatur. Gratianus verò, præterquam quod sua ita inconsideratè confarcinavit, ut quid sequendum in ipsis sit intelligi nequeat, & ipse ambitioni Pontificum quantum potuit adulatus est, ut multi loci ab ipso turpissime falsati manifestè commonstrant. Et si historiis ejus temporis credendum est, rerum gestarum series maximè cum narratione utriusque dissentire videtur. Si etenim Ludovicus jure suo approbandi Pontificis cessit, ut cum Bibliothecario Gratianus refert, cur Gregorius IIII, à Paschale Tertius, non prius Pontificatum suscipere voluit, quàm à legatis Ludovici Imperatoris ob eam causam Romam missis, quo diligenter electionem Pontificiam discuterent, confirmatus esset? Adeone vel Gregorius juris sui negligens, vel Ludovicus obliviosus fuit, ut iste, quæ ad amplificationem sedis apostolicæ spectarent, remitteret; hic verò eorum quæ inter se & Paschalem acta fuissent, non recordaretur? Sanè Platina & ipse Pontificius scriptor, in narratione hujus rei Ludovicum id non superbia motum fecisse, sed ne jura imperii amitteret, clarè atque expresse commemorat. Quod si antè electionem liberam Romanis permisisset, an non jure suo excidisset?

Gratianus.

c. Cum A-
drianus.
63. dist.

se diceretur? Quid quòd Ludovico nepo-
ti Pii idem jus fuisse præter historicos etiam
Gratianus testetur. Cum etenim Ludo-
vico Secundo regnante inter alios Adria-
nus secundus, legatis Cæsareis, qui tum in
urbe erant, non vocatis, à nobilitate Roma-
na, civibus ac clero (quem vocant) creatus
esset, legatis id graviter molesteq; ferenti-
bus, id responsum fuisse tradit, non causa
contemptus Augusti, sed futuri temporis
prospectu hoc commissum, ne videlicet
legatos Principum in electione Romanorū
Præsulum expectandi mos per hujusmodi
occasionem inolesceret? Quod si Ludovi-
cus Primus liberam eis electionem con-
cessit, ut ajunt; quid ipsis excusatione apud
Ludovicum nepotem ejus opus fuit? Vel
cur is injuriam sibi factam putare potuit?
Quare quidquid Gratianus cum Bibliothecario
narret, id decretum seu pactum suspi-
cione minimè carere liquet: ea etiam de
causa quod post mortem Ludovici II, Ca-
rolus Calvus quoque ejus patruus Impera-
tor factus electionem Johannis Noni, ap-
probarit, haud dubiè Pontificibus minimè
confirmationem Imperatoriam requisitu-
ris, si quocunque pacti prætextu id ipsis fa-
cere licuisset. Verùm post ista tempora,
cū posteri Caroli Magni mutua dissensio-
ne con-

ne conflictarentur, & Gallia reges Nordmannorum incursionibus infestarentur, Pontifices autoritatis Imperialis excutiendæ occasionem nacti, minimè eam prætermisere. Nam initio Martinus Secundus malis artibus Pontificatum invasit. Deinde verò Adrianus Tertius anno Domini DCCCXCV. sine autoritate Imperiali, Pontificatum adeptus, ad Senatum populumq; Romanum referre non dubitavit, ne in creando Pontifice Imperatoris autoritas expectaretur, utq; libera essent populi & cleri suffragia.

*Sabel. Aes
nead. lib. 9.
Platina in
Vita ad 3.*

Ea verò Adriani constitutio quam perniciofa fuerit, violentiæ, cædes, veneficia, & omnis generis mala, quæ per septuaginta annos & ultra, scelere viginti quatuor Paparum invicem se excutientium, Ecclesiam afflixerunt, liquidò docent. Tanta rabie ipsis inter sese decertantibus, ut magis Neronis, Caligulae, Domitiani, ac Heliogabali quàm Petri successores videretur, eo qui fraude, dolo ac scelere præstaret, Pontificiæ sedi incubante.

Tandem cum Ottho cognomine Magnus ad Italiae motus componendos evocatus, Johanni decimotertio ob flagitiosissimam vitam Pontificatum abrogasset, & Leoni à se confirmato Populus Romanus

Benedictum suffecisset, iratus Ottho eos vi & armis compulit, dedito etiam Benedicto, Leonem suscipere. Qui statim Romanorum inconstantiam pertæsus, auctoritatem omnem eligendi Pontificis à clero populoque Romano ad Imperatorem, ejusque successores in perpetuum, rursus transtulit, Imperialia jura de approbando Pontifice, sub interregno sopita, resuscitans. Verba privilegii apud Gratianum extant in c. in synodo. 63. dist. & apud Theodoricum Nyem, qui præter hoc privilegium, & aliud, quo per eundem Leonem omnia bona, quæ à Romanis Imperatoribus Ecclesiæ Romanæ collata fuissent, Imperio restituta esse commemorat, adjicit.

*c. tibi domi-
no. 63. dist.*

Verum ut nulla sunt superiorum Imperatorum privilegia, contra quæ alia apud Gratianum conficta non extent: sic & hoc Leonis privilegium Pontificii formulâ jurisiurandi, quo Otthonem Johanni Papæ se devinxisse tradunt, elidere conantur. Sed quam suspecta, inutilis atque nullius momenti illa sit formula, vel pueri perspiciunt. Præterquam enim, quòd ne verbum quidem, quis ille fuerit Johannes, & quotus ejus nominis, quotus etiam Ottho: quis crederet Imperatorem virtute, constantia, fide ac religione præstantissimum, isti monstro,

stro, quod homicidii, periurii, sacrilegii, incestus crimine pollutissimum esse sciebat, quodque convocata Synodo, Pontificali sede dejiciendum duxit, jurejurando obstringi voluisse? Et ut id factum fuerit, subsequenti Leonis Constitutione eum Othonem liberatum, ac Jura Imperialia eum non tantum recepisse, sed & ad posteros transmisisse constat. Nam & Ottho Tertius Gregorium Quintum Pontificem creasse, eumque factione Johannis decimioctavi pulsum in sedem restituisse legitur, Antipapa oculis prius effossis, Pontificatu simul & vita privato. Et Henricus cognomine Claudus juris istius possessionem, Benedicto contra adulterinum Pontificem defenso, Imperatoribus firmavit.

Defuncto vero Henrico, & in ejus locum triennio post legitimis suffragiis Cunrado primo creato, factum est ut interregni occasione, Imperii potestas defectione multarum Italicarum civitatum turbata afflictaque sit: & eò Pontificatus devenerit, ut qui plus ambitione & largitione valeret, is tantummodo dignitatis gradum, bonis oppressis & rejectis, obtineret: & plures per posticum ut fures & latrones, quam per ostium ad sacerdotium intrarent.

Decertantibus itaque de Papatu Bene-

H 3

*Platina in
Sita sylve
vestri.*

*Platina in
vita Grego-
rij.*

dicto Nono, Sylvestro Tertio, & Gregorio Sexto, Henricus cognomento Niger, patri Cunrado succedens, rebus per Germaniam constitutis, in Italiam cum exercitu contendit. Ac habita Synodo, cum Benedictum, Sylvestrum atque Gregorium, tanquam tria teterrima monstra, abdicare se magiltratu coegisset, Suydegerum Bambergensem Episcopum, cui Clementi secundo appellatio fuit, Pontificem creat. A quo accepta Imperii corona, Romanos in verba sua jurare compulit, *Pontificum electioni nequaquam se interfuturos, nisi id iussu Imperatoris ipsis concederetur.* Videbat enim optimus Imperator, eò licentiæ factiosum quemque & potentem quamvis ignobilem devenisse, ut corruptis suffragiis tantam dignitatem consequeretur: quæ nisi sanctitate & doctrina bene meritis, volente Deo cuiquam demandari non deberet.

Adeò verò hic mos jam inoleverat, ut cuique seditioso & scelerato liceret Petri sedem invadere, ut abeunte Imperatore Damasus secundus natione Bavarus, veneno in hos usus parato, Clementem sustulerit; quem virtus dare consuevit Episcopatû, scelere comparaturus. Sed obstitit Deus, justus vindex, illum tertio & vicesimo Pontificatus sui die è Pontificatu ad nigra Tartara detrudens. Quare

Quare ab obitu Damasi, Romani juxta
jusiurandum Imperatori præstitum, lega-
tos ad ipsum miserunt anno M. XLIX. ora-
tum ut optimum Pontificem sibi daret.

Qui statim Baunonem Episcopum Tul-
lensem, virum bonum & simplicis ingenii,
legatis & Ecclesiæ Romanæ obtulit, Leo-
nem nonum postea dictum. Ejus ergo
simplicitate Hildebrandus monachus ver-
sutissimus, antè in Teutonicas partes cum
Gregorio Sexto ob maleficia deportatus,
tunc verò intempestiva Imperatoris cle-
mentia dimissus, cognita ei Romam Pon-
tificio habitu petenti, partim Imperatoris
odiò, partim ut suæ ambitioni viam præ-
strueret, persuasit, ut deposito Pontificali
ornatu, Romam privatus ingrederetur,
quòd diceret Heinricum nullam creandi
Pontificis potestatem à Deo habere, sed
ad clerum populumque Romanum eam
pertinere. Voce etiam quadam quasi cœ-
lesti conficta, *magis pacis cogitationes quam
afflictionis sequendas esse*, sonante. Qua qui-
dem ipse commotus Urbem privatus in-
greditur. At verò Romanus clerus sua-
dente Hildebrando eundem Baunonem
Pontificem eligit, eo libentius quod omnē
autoritatē eligendorū Pontificū ab Impera-
tore, ipsorū iudicio transtulisse videretur.

H 4

*Platina in
Vita Leonis
Noni.*

*Benno Car-
dinalis eū
Brunonem
vocat.*

*Vide eun-
dem Benno-
nem. Nam
Platina &
Sabellicus
Pontificij
adulatores
cum laudi-
bus efferre
conantur.*

*Platina in
Sua Victo-
ris.*

Tulit quidem Hildebrandus doli sui præ-
mium Cardinalatum, ac gubernationem
Ecclesiæ S. Pauli: non tamen quod Roma-
nistæ moliebantur, penitus obtinere potu-
erunt: quin Leone mortuo, clerus popu-
lusque Romanus Henrici potentiam re-
formidantes, Victorem secundum, Hein-
rici magis gratia quàm liberis suffragiis addu-
cti, Pontificem reciperent, legato Hilde-
brando ob eam rem ad Henricum misso.
Victori successit Fridericus è familia Lo-
tharingica, dictus Stephanus Nonus: quem
sunt qui dicant in Henricum Imperatorẽ
invectum, quod summorum Pontificum
autoritatem diminueret. Sed id haud du-
biè post mortem Henrici Nigri, quæ ejus
tempore incidit, factum est.

Nam quoad Henricus vixit, majestatem
Imperii foriter defendit, & potestate Im-
periali Ecclesiam ordinavit, tribus Episco-
pis remotis, totidemq; restitutis.

*Asentinus
lib. 5. Ann.*

Cæterum post mortem Henrici Nigri
ac Stephani Pontificis, Henrico quarto
adhuc impubere Regedesignato, mox qua-
si præfagia futurarum contentionum sese
ostenderunt. Nam Benedictus quidam au-
xilio suorum inconsulto Cæsare Papatum
invasit, ejus nominis decimus. Tulit id gra-
viter molesteq; Godfridus dux limitis He-
trusci.

trusci. quare eundem vi Roma pellit, legatos Romanos in Germaniam ad Cæsarem proficisci, ab eoq; petere ex consilii decreto, more majorum Episcopum jubens. Illi itaque Augustam profecti, Gerardum Florentinum Episcopum, virum bonum studiosumq;, pastorem postulant. Is ergo continuo Pontifex approbatus, nomen Nicolai Secundi assumpsit.

Hic anno salutis M L I X. mense Aprili, Indictione XII. quod ambitus lethalis Romæ invaluerat, decreto sanxit, ut defuncto Pontifice, primò Cardinales, deinde ceteri sacerdotes, Senatus populusq; Romanus coeant, in communeq; de creando Pontifice consultant: *Salvo tamen, inquit, ac ob honore & reverentia filii nostri Henrici, qui impresentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo cõcedẽte speratur.* Id quoq; addēs, ut si quis pecunia vel gratia humana, aut populari militarive tumultu, sine concordia & canonica electione Cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non Apostolicus, sed Apostaticus meritò vocetur. liceatq; Cardinalibus, clericis & laicis Deum colentibus, illum ut prædonem anathematizare, & quovis humano auxilio à sede Apostolica propellere. c. si quis. 79. Dist.

Sed non tanta ejus decreti fuit sanctitas,

c. In nomine
ne Dominus
2. dist.

quin biennio post, etiam cruore fuso, pro Papatu certaretur. Nam statim Nicolao mortuo, inter Cadolum Parmensem, postea Honorii secundi nomine appellatum, & Anselmum Lucensem Episcopum, schisma exortum fuit. De quo alii alia, pro suo affectu, prodidere. Aventinus siquidem dissensione inter Lucensem à Nordmannis Pontificatui impositum, & Honorium lituo à Cæsare donatum exorta, refert, autoritate Cæsaris partium causa cognita, auspicio ejus Alexandro Lucensi Pontificatum addictum, ac inde turbis majoribus ab Honorio motis, nec eo citato comparente, Alexandrum ritu solenni in concilio Mantuano Pontificem renunciatum. At Platina suo more, Paparum quam Cæsarum autoritati addictior, etiam invito Cæsare, ope Mathildæ ditissimæ fœminæ, Alexandro Pontificatum obtigisse commemorat: ea subjungens de Hildebrando, quæ à Romanistis Pontificis electionem usurpatam fuisse indicent. Sed quoquo modo illa sese habeant, primò in pratis Neronianis, secundò ad urbem Leoninam, infestissimis animis inter Honorianos & Alexandrinos dimicatum, & Hildebrandinæ factionis acerrimè Imperatori adversantis, fundamenta tunc jacta constat. Nam & Alexandrum

drum arte sua Pontificem constituit, ac eo electionem suam invito Cæsare factam, tanquam minus legitimam improbante, re eò deduxit, ut Alexander durissimis pugnis tractatus, ac omni reditu præterquã quinque solidorum Lucensium privatus, sub miserabili jugo vitam finierit, prout Benno Cardinalis, qui eo tempore vixit, memorię prodidit.

Benno.

Extincto itaq; quodam vespere Alexandro, tum quę longo tempore sese occultarat, & multorum annorum spacio se cumularat dominandi libido, quasi repagulis remotis effundere cepit. Nã Hildebrandus armis Nordmannorum (qui tum per Apuliã, Calabriam, Campaniã, quas vi occuparant, debacchabantur) fretus, confusus etiã opib. Mathildæ mulieris potentissimæ, & discordia Episcoporum Germanicorum, quos arte ab Imperatore alienarat: primus contra morem majorum, Imperatoris autoritate manifestè contempta, Pontificatũ occupavit: ac ne ab Imperatore reliqui Episcopi sui confirmationẽ peterẽt, decreto edixit; de factotũ dantes, tum petentes investituram excommunicans: utramq; personã sibi impositã esse à Christo, se quodcũq; ut liberet ligare & solvere posse jactitare: omnẽ potestatem in se transferre; temporalẽ supremãq; jurisdictione

*Arventinus
libro 5.*

*Non audeat
Stygius Platon
tentare,
quod audeat
Effrenis
monachus,
&c.*

*Formula
decreti ex-
trat c. si quis
deinceps c.
quonia investituras.
16. 97.*

dictionem lege lata usurpare: Cæsares, Reges, Augustos ut precario regnantes floccifacere: Cæsari leges de familiaribus dimittendis sub interminatione excommunicationis præscribere: nuncios Cæsareos conatibus ipsius obstituros in vincula conjicere, ac per Urbem circumductos Roma pellere cœpit. Id facinus plerisque Ecclesiasticis, Senatui populoq; Romano perquam displicuit. Quare in concilio Wuormatiensi ea de causa indicto, legatis qui Roma venerant, auditis, & literis de Hildebrandi sceleribus lectis, decretum Episcoporum Galliaë atque Germaniæ ejusmodi fit: *Ut cū primus sine consensu ipsorum, adversus Imperatoris Romani, rerum domini à Deo constituti voluntatem, contra morem majorum, contra leges, contra auspicia, Pontificatum maximum Monachus desertor invaserit, utrunq; & Imperium & Pontificatum sicut Decij, & falsorum deorum cultores faciliare consueverunt, usurpet, &c.*

*Aventinus
sibi supra.*

Hasce ob causas Imperatorem, Pontifices Senatum populumq; Christianum, Hildebrandum abdicandum, neque oves lupo committendas, censuisse.

Deinde Cæsar & Hildebrando, & sacerdotibus populoq; Romano scribit, impetans ex consilio de creto, ut ille ad privatam vitam

vitam redeat: hi deserto Hildebrando, more majorum pastorem sibi deligant. Hildebrandus nuncio harum rerum accepto, adeò nihil commotus est, ut & furiosius exarserit, insolentiorque evaserit. Nam cum antè quosdam Imperatoris familiares excommunicasset, quorum consiliis eum ad tales actiones impelli existimabat; Cæsarem jam ipsum in conciliabulo suo, contra ordinem judicandi sacris canonibus deternminatam, novo exemplo excommunicat, proscribit, Cæsarea dignitate privat: idque per orbem terrarum omnibus Christianis atrocissimis bullis denunciat.

Nec his cæcis fulminibus ac terrificis fumis contentus, omnes subditos ejus præstito juramento solutos cõtra eum instigat, & per emissarios suos Episcopos & Monachos, & hostes ejus Saxonas, tanta incendia bellorum, tantasq; cædes excitat, ut post innumerabiles victorias Henricus in angustiis positus, atque in periculum abrogationis Imperii veniens, supplex Pontificem de absolutione rogare, culpam deprecari, & leges sibi ab Hildebrando præscriptas recipere cogeretur, non sine gravi & indelebili Imperii macula, Italiæ proceribus eum suggillantibus, quod tam fœdè, tamq; indignè se submisisset illi, qui pessimis artibus

Papatum

Hildebrandus primus omnium pontificum Henricum Imperatorem anathematizavit.

Papatum invasisset, quiq; cædibus & adulteris omnia polluisset. Hoc itaque Cæsar ad animum revocato, licet quibus calamitatibus premeretur, quæq; mala pactio- num præscriptarum repudiatione sibi imminerent, perspiceret, Imperii tamen majestatem, & existimationis Cæsareæ decus commodis propriis præferendum ratus, pactiones ut turpes & iniquas rejicit. Ideoq; copiis collectis, Rodolphum Sueviæ Ducem, quem prioribus extinctis, Papa illi adversariū excitarat, tertio conflictu superat: eoq; ex vulnere mortuo, denuò Episcoporum Germaniæ, Galliæ, Italiæ conventum Brixiæ, haud procul à valle Tridentina sitæ, indicit. Quò omnibus convenientibus, & actis Hildebrandi examinatis in hæc verba, decretum fertur:

*Ablas Vr-
spersensis.*

Quia non à Deo electum illum constat, sed à seipso in fraude ac pecunia objectum, qui Ecclesiasticum subvertit ordinem, qui Christiani Imperii perturbavit regnum, qui regi Catholico ac pacifico corporis & anime intentat mortem, qui perjurum defendit regem, qui inter concordem seminavit discordiam, &c. Nos auctore Deo congregati in unum, legatis ac literis freti XIX. Episcoporum die S. Pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procacissimè sacrilegia ac incendia

celandia prædicantem, perjuriam ac homicidia defendentem, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, Pythonico spiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, judicamus Canonice deponendum & expellendum: & nisi ab ipsa sede, his auditis, descenderit, condemnandum.

Post hæc Imperator motibus in Germania qualitercunque sedatis, cum exercitu Romam contendens, urbe potitur, ac Pontificem in mole Hadriani obsessum ad pacem compellit: qui ea simulata, fugæq; ornatu dissimulato, Salernum ad Nordmannos, ut antè desertor monachus, sic nunc desertor miles aufugit.

Cæsar itaque procerum ac Episcoporum senatu coacto, more majorum pontificalia comitia habet, in quibus Hildebrandus *tanquam fur ac latro, veluti perfidus transfuga, ovium desertor, gregis proditor, Christianæ charitatis osor, omnium consensu abdicatur.* ac Guibertus Ravēnatisiū Archiepiscopus cōcordiæ ac pacis studiosus, vir bonus ac eruditus, Episcopus eligitur, qui mox à Clero nomine Clemētis Tertii inauguratus anno Christianæ salutis M. LXXXIII. Cæsarē cum Bertha uxore cōsecrat, & Augustos acclamate populo salutatur. Hildebrandus autē interim sive cōscientia scelerum, sive mœrore, extorris aris & focis Salerni decedit. Non

*Agentines
ubi supra,*

Mors Hildebrandi.

Non tamen hac face bellorum extincta, rabies aliorum Pontificum deferbuit, ac pax orbi, & majestas Imperio est reddita. Siquidem Urbanus post Victorem Secundum paucorum dierum Pontificem, factione Hildebrandina Carstungi ad pontificatum evectus, cum ab Imperatore ac majori procerum parte irreligiositatis accusatus, ac in impiorum numerum relatus, diu sine lare, ac sine grege obertasset, ita artificiose scelerum telam ab Hildebrando inchoatã pertexuit, ut & pro Urbano Turbanus diceretur, & magistrum Hildebrandum longissimè superare videretur.

*Papa filios
in patre ar-
mant, unde
pietas eorū
notanda.*

Nam cum aliis nocendi artibus Heinrichum petere non posset, filium Cunradum ex prima conjugē natum, quem pater Italię præfecerat, in eum parricidaliter concitat, data illi Rogerii Nordmanni uxore, ejusq; auxilio Clementem Tertium à patre Pontificem constitutum sede pellit.

Et mox utroque & Urbano atque Cunrado sublatis, Paschalis secundus, ne à prædecessore scelere superatus esset, nec quid spaciū Heinricho ad se colligendū relinqueretur, Urbani exemplo alterum filium Heinrichum (quem jurejurando adactum, se nunquam à patre defecturum Principes Aquisgrani Cæsarem consalutarant) ad parricidit-

parricidiale[m] rebellionem impellit: ejusq[ue]
Saxonum viribus suffulti opera, rem eò de-
ducit, ut vir fortissimus, & majestatis Imperii
vindex acerrimus, longis certaminibus,
& crudelissimis exagitationibus Paparum
defatigatus, tandem contra fidem datam
captus, magistratu se abdicare cogeretur.

Oppressere itaq[ue] pontificii tum tempo-
ris Imperatorem de Repub. præclare meri-
tum, & pro juribus Imperii viriliter pugnan-
tem: sed scelere, dolo, & perfidia, eoq[ue] bo-
noru[m] judicio, ut qui eo tempore scripsere,
Heinrici conditionem deplorent, eumq[ue]
contra Gregorium ejusq[ue] successores defen-
dant, tum privatim tum publicè id indignè
factum clamitantes. In his Benno Cardi-
nalis, Venericus Vercellensis, Sigisbertus
Monachus Gemblacensis, autor libri de U-
nitate Ecclesiæ, & Leodienses, quorum scri-
ptum secundo Tomo Conciliorum inser-
tum reperitur.

Ut ut verò res ceciderit, quem illi con-
tra parentem filium armarant, hunc rapa-
citate ipsorum sese exserente sibi adversari-
um antè quàm præda petita potirentur, sen-
sere, Nam cum Henricus, Henrici prioris
filius, à Papa & sacrificis ad juvandam pa-
tris oppressionem seductus, quorsum tyra-
nis ipsorum evaderet, serò nimis cognosce-

ret, jus Imperiale in conferendis Episcopatus, Abbatibus & praelaturis defendere coepit: ac capto Romae propter perfidiam Papa Paschali, ei omnia jura Imperii quae pater aliiq; praedecessores habuissent, extorquet. Confirmat omnia Papa, literis, sigillis, & juramentis, & contra ab Imperatore amplissimis donis ornatur: sed justo Dei iudicio filii peccatum vindicantis factum est, ut quam ipse parenti fidem non servasset, nec ipse in aliis experiretur: & quibus ipse patre deserto, sese conjunxisset, hos hostes crudelissimos sentiret.

Prisingensis lib. 7. capit. 14.

Nam mox ubi ille anno M. CXVI. in Germaniam rediit Papa, ingenti symmyctarum synodo coacta, & peccato quod remissione istius privilegii commisisset deplorato, Gregoriiq; Septimi decretis confirmatis, omnia post longam discussionem mutat atque invertit: ac Imperatorem, more jam recens exorto, excommunicat. Ea res multos Germaniae Principes, in his maxime Moguntinum, ad rebellionem commovit. Caesar itaq; ad Pontificem legatis missis de pace actionem instituit, sed ea morte Pontificis abruptur.

e. si quis. c. constitutio. res. 16. q. 7.

Ab ejus obitu cum Gelasius Pontifex à Cardinalibus crearetur, Caesare non interpellato, Imperator nullam sui rationem habi-

tans

tam esse molestè ferens, mox Romã venit, & Mauritium Bracharensem Archiepiscopum Papam constituit. Gelasius verò dejectus Cæsare abeunte, eum cum Papa devovet: & per Germaniam legatis missis, exemplo prædecessorum subditos ad defectionem hortatur. Quare Henricus rebus suis metuens, in Germaniam revertitur.

Tandem mortuo Gelasio, cum qui in ejus locum successus erat, Calixtus secundus sede deturbasset Antipapam ab Henrico (ut diximus) constitutum, & Henricus potentiam Papæ Nordmannorū viribus suffulti, crescere, seq; iisdem artibus peti, quibus pater everfus fuerat, videret, anno Domini M. C. XXII. Hostiensi Episcopo allaborante ita conciliatur Papæ, ut Imperator investituram oēm per annulum & baculum dimitteret, & concederet in omnib. Ecclesiis fieri electionem ac liberam consecrationem: ac regalia ablata, si qua haberet, restitueret: aut ut restituerentur procuraret. Pontifex rursus concessit electionem Episcoporum & Abbatum in præsentia Imperatoris fieri sine violentia, ita ut electus regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Concordia hæc est facta Vuormatiæ nono Kal. Octob. Anno M. C. XXII.

Sic jura Imperii, quæ penes Imperatores

*Cessio iurium
imperialis
tantæ, quã
a nulla
maior fieri
potuisset.*

*Vr̄sp. fol.
271. Naucle
rus gene-
rat. 37. Ot-
tho Frising-
ensis lib.
7. cap. 16.
Cassina-
nus in vita
Henrici V.*

jam inde à temporibus Constantini fuerāt,
 autore Hildebrando sceleratissimo mona-
 cho Pontifices Romani ad se rapuerunt, nō
 cōcessu Imperatorū, vel jure ullo, sed sediti-
 onibus, horribilib. tumultib., & tantis bel-
 lis, ut virib. Imperii accisis, subsequētes Im-
 peratores quantumvis potentes, vel exēplo
 Henricorum cōmonefacti, vel metu tyrā-
 nidis Pontificalis deterriti, ea negligere &
 quasi pro derelicto habere coacti sint.

*Abbas Vr-
 sperg.*

Testis ejus rei est Lotharius Saxo, Hein-
 rici v. successor, quo licet vix alius inde à
 Carolo Magno in Italia res majores gessisse
 feratur, non tamen vi vel armis causam re-
 cuperationis juriū amissorum, sed querelis
 & precibus agendam censuit. Siquidem cū
 ab eo Leodii (ut puto) Innocentius Secun-
 dus factione Petri Leonis Roma pulsus opē
 petiisset, pollicitus quidem eam est, sed ita
 ut vires Imperii graviter attenuatas esse cō-
 quereretur, cū ei Papa jus conferendi Epi-
 scopatus & Abbatias ademerit, & eo in se-
 dem Barionæ restituto Imperator Germa-
 niam repetiturus, sive persuasione Bernhar-
 di, quem secum Romam duxerat, sive me-
 tu majorum motuum, sive superstitione
 ductus, rogare cœpit, ut investituras Epi-
 scoporum, quas Imperatores multo tem-
 pore ante se habuissent, restitueret. Sed ut
 ut

ut bene meritus de Innocentio esset, nihil precib. vel querelis efficere potuit, cū quæ istæ Harpyiæ semel inuncaverint, non facile ipsis extorqueantur.

Etsi autem jus constituendi Pontificis Heinrico ereptum subsequentes Imperatores Lotharius & Cunradus neglexerint, & Cardinalibus (quorum exinde potentia clero excluso augeri cœpit) reliquerint, tamen qui generosioris animi, & majestatis Imperii amantiore fuere, idem jus sibi asserere non dubitarunt. Nam Fridericus Primus, qui circiter annum Domini M. CLIII. regere cœpit, majestatem Imperii totis triginta annis, quibus Imperio præfuit, feliciter defendit. Post ortum etenim inter Alexandrum & Victorem schisma, hoc mortuo, illo Romam tenente, Fridericus apud Vuirzburgum omnium Imperii ordinum frequentissimo cōventu coacto, ipsorum consensu Guidonem Cremensem, Paschalem postea nominatum, Pontificem legit, ac decretum fieri promulgariq; curat: *Nullum postea Pontificem fore, nisi qui more majorum, consensu Imperatoris creetur: atque nuncius duntaxat Christi, successorq; Petri, non etiam Cæsarea potentie pertinax emulus esse velit.* Atq; singulis juramēto adactis, haud alium aut recepturis aut passuris Pontificem, etiam mortuo

*Aventinus
lib. 6. k. ad
vicus lib. 9.
cap. 55.*

*Gloß. in
Auth. quo-
mod. oportet.
Episc. ver-
bo. conferēs
generi. Pet,
de Bell. per.
in proam.
Inst. Albe-
ric. de Ros.
in l. Bene à
Zenone. C.
de quadr.
prasc. quem
vide.*

*Adventinus
lib. 6.*

Imperatore, edicto præcipit, ut novi Episcopi à Moguntino inaugurentur. Ac mox dissoluto conventu, Romam profectus, Paschalem vi introducit, & in Germania Episcopatus & Abbatias more majorum confert, quòd Heinrici concessionem Pontifici factam, nulla ratione in præjudicium Imperii valere, & quòd principes Germaniæ ei minimè consensisse sciret.

Secundus ab hoc Fridericus Junior, in initio quidem maxima immunitate sacerdotũ genus donavit, ut privilegia clero ab ipso concessa, testantur: sed cum mox Romanenses illis adversus eum abuterentur, & Gregorius Nonus regnandi cupiditate captus Imperium discordia debilitare, & Fridericum diris è fastigio rerum humanarum deturbare moliretur, pro commissa sibi à Deo potestate, enseq; divinitus tradito, ei fortiter restitit; & ut eundem abdicata regnorum & humanarum litium cura, profanorumq; negociorum administratione, quibus illi interdictum esset, ad æmulanda pauperis Christi, cujus vicarium se jactitaret, vestigia cogeret, omni animi contentione in cubuit. Namque hæc (inquit) perniciem esse religionis, adeò, *ut homo ille qui dicitur Papa, divitiis nimium auctus, maximo pietatis Christianæ detrimento omnia sibi licere;*

gere;

ere, more tyrannorum pessimorum putet, rationem actuum nemini, quasi Deus sit, reddere velit, &c. Ac sanè hic Imperator, tum forensi, tum bellica laude clarissimus, Imperio suam majestatem reddidisset, nisi in ea secula incidisset, quibus & Principum & vulgi animi falsa religionis opinione fascinati, Pontificiæ sedi adversari piaculum duxere: potio-rem ejus quàm patriæ, libertatis, ac majestatis Imperii rationem ducentes. Tanta vis religionis, si animos semel occuparit, esse solet. Quòd si hæc ætas nostra illum Imperatorem vidisset, nec Imperio Germanico quicquam amplius atque augustius, nec Pontificia sede abjectius contemptiusq; fuisset: adeò ille tyrannidi Pontificiæ infestus fuit.

Cæterum hoc generosissimo Principe extincto, tum Pontifices cornua superba erigere, suam potentiam atq; tyrannidem amplificare, & pro libito toti mundo domanari cœperunt: quod à morte ejus per annos circiter LVII. Italia, & ob interregnum (quod ad vigintiduos ferè annos duravit) & ob civiles dissensiones à nostris Imperatoribus negligeretur; & regno Neapolitano à familia Friderici ad Andegavenses translato, Pontifices armis Gallicis subnixi Imperatoribus non temerè oppugnandi viderentur.

Vide Aven-
zinū lib 7.
& seq. Nau-
clerum &
alios.

Donec quod rerum summa anno Domi-
ni M. CCC. XIII. ad Ludovicum Bavarū
delata: is jura Imperii oblitterata, sua asser-
tione contra Johannem XII. nitori pristino
restituere cœpit. Nam cum à Pontifice ex-
cōmunicatus esset, quòd Italiam cū exerci-
tu ingressus, municipiis & oppidis præfe-
ctos, ipso repugnante cōstituisset, & quod
statim post electionem, antequam à Papa
juberetur, nomē jusq; Imperii tibi usurpare
nō dubitasset: ille de consilio procerū, Petrū
Corbariensem ordinis Minorum ex Reati-
no agro oriundum, more majorum Ponti-
ficem creavit: & hominib. divini humaniq;
juris consultissimis convocatis ostēdit, Pa-
pam nullum omnino jus supra Cæsare ha-
bere, imò contrà, *Papam cum omnib. spiri-
tualibus, summis & infimis, debere esse subje-
ctum superiori potestati.* Simulq; sine discrimi-
mine omnes Episcopatus & Prælaturas Im-
perii, freudentibus & varia contra ipsum
bella excitantibus Romanistis, contulit.

Qui deinceps hunc subsecuti fuere, vel
artibus Pontificum impediti, vel falsa &
superstitiosa religione victi, parum contra
Pontifices moverunt, sed illos in quieta ju-
ris possessione vel quasi reliquerunt, iis in-
terdum ad hæc ipsorum libidini permissis,
quibus Imperii majestas non parum defor-
mata

mata imminutaq; fuit. Nam & successor Ludovici Carolus IIII. de consensu Papæ Innocētiū VI. qui in Galliis tum erat, ab Hostiensi Cardinale, se Romæ ea lege coronari passus est, *ne vel Romæ vel in Italia diutius haberet*, & Sigismundus Imperii sui tempore, duplici trium Paparum schismate exorto, quos suo jure pellere debuisset, non sine gravissimis laboribus, sumptibus & periculis, regna Christiani orbis ferè omnia pervagatus, autoritate Concilii generalis Constantiæ indicti, Pontificatu moveri voluit.

Postremò verò cū Fridericus Austriacus ejus nominis IIII. anno M. CCCC. XLI. conventu Imperii Moguntiaë indicto, ac Rege Galliaë ad eum per literas invitato, magnū quid pro Imperii honore ac commo- moliretur, ejus præclari conatus arte Pontificis, regi Gallorū frequentationem istius conventus dissuadentis, repressi fuere.

Ex eo licet talis in religione mutatio incidere, quæ occasionem recuperandi jura Imperialia insignem ostenderit: tamen civili nostra dissensione, ac mutua animorū alienatione factum est, ut de reliquorū con- servatione potius, quàm amissorum recu- peratione consilia suscipienda fuerint: ac id nobis metuendum, ut à quo jam pridem ju- ra amissa extorquenda fuissent, is occasio

*N. auclerus
gener. 46.
Cuspinia-
nus, & alii.*

*Epistola ex
tat in sine
Clemangis,
& in Fasci-
culo rerum
expetenda-
rum, Colo-
niae impres-
so.*

*In formul.
rei conven-
ti verb. præ-
scriptionis.
num. 24.*

ne nostræ diffensionis fretus, ea tentet, quibus vel majora sibi acquirat, vel nobis incendio excitato insignem aliquam cladem conciliet. Non etenim, ut Practicus Ferrariensis ante annos centum & sexaginta tres verissimè scripsit, homo ille.

Cui licet unanimes armare in prælia fratres.

Atque odiis versare domos, & verbera tectis.

Funereasq; inferre faces, &c.

quiescet, dum Ecclesia (ut vocant) civitates ac castra possidet, nec donatio eidem facta à Constantino, per aliquem probum & potentem Imperatorem penitus sit revocata, cum non concordet Psalterium cum cithara, nec dictum sit à Christo, nec à beato Petro, quòd possidere debeant talia; sed quod Cæsaris est, reddatur Cæsari, & quod est Dei, Deo, &c.

*DE MORE UNGENDI, APPRO-
bandiq; Cæsares, converso rerum ordine,
per Papas introducto.*

AGE verò ut hætenus ea quæ de confirmatione Pontificum olim per Imperatores fieri solita, hinc inde inveniuntur, historica fide retulimus: sic nunc de

de unctiōe Imperatorum videamus, ea illi annectentes, quæ Pontificii ad imminuendam potestatem & auctoritatem Imperialem de confirmatione Imperatoris commenti, Papam in temporalibus Imperatore majorem, & eum illius vasallum constituere conantur. Iis etenim cognitis, quàm sententia eorum vi magis ac fraude Pontificia, quàm jure constabilia sit, facillimè judicatu erit.

Unctio itaque ab Hebræis cœpit, apud quos (ut in Bibliis legitur) oleum super capite fufum, regiæ cōsecrationis & sacerdotalis electionis signum habitū fuit. Sic Saul à Samuele 1. Reg. cap. 9. David à viris Judæ 2. Reg. cap. 2. Salomō à Nathā 3. Re. ca. 1. Haabel & Jehu filius Naufi ab Helia, reges inunguntur, Aron à Mose sacerdos. Levit. 8.

Imperio autē Constantinopolim translato, cæteris electionis regiæ ceremōiis imitatione Hebræorum, hæc addita fuit, ut qui primū Imperator renūciatus esset, à Patriarcha Constantinopolitano in magna Byzanti basilica oleo unctus diademate aureo coronaretur. Idque primum (ut conjectura est) Justino Justiniani avunculo, introducente, qui primus à Joanne Pontifice unctus & coronatus legitur, quo augustius ei magisque ratum Imperium foret. Constantinopolitanis deinceps Patriarchis eam cere-

*Canonista
c. 1. de Iure
jur. § c. 1.
de maior et
obed. c. no-
vit. ext. de
iudic.*

moniam administrantibus, ea ratione, ut quamvis nihil juris in Imperium sibi arrogarent, vitæ tamen Imperatorum examinatione habita, eos qui ad Ecclesiam coronæ accipiendæ gratia, manifestis atq; notoriis delictis polluti venissent, ritu Ecclesiæ Græcæ, donec quòd pœnitentiam egissent, liberrimè arcerent.

Cum verò Leo Papa Tertius populi Romani scito, cleriq; rogatu Carolum Magnū ob egregia in se inq; Christianū nomen merita, in magno illo natalis Saluatoris nostri die anno salutis DCCCL. Romanorum Occidentis Imperatorem pronūciasset, eū quoq; unà cum filio Pipino, more Imperatorum Orientalium, oleo unctum aureo diademate insignivit.

Hunc morem à Leone institutum tam Pontificatus quàm Imperii successores deinde quasi sibi per manus traditū, religiosè observarunt, cum in initio Pontificib. adhuc humilioribus, & more nondum cōfirmato, ipsi sua sponte ad reges ungendos in remotissimas terras proficiscerētur, & Imperatores minimè eā ceremoniam averсарētur, sed animis libentibus reciperent nonq; jurisdictionem se inde cōsequi arbitrarentur, sed Ecclesiæ precibus & benedictione ea dona sibi interius conferri & augeri cuperent,

*Sigisbertus
de Ludovico
10. Cuspinianus
in vita Ludovici Ter-
tii.*

perent, quæ exterior atque visibilis unctio præfiguraret, ut Albericus de Rosate rectè existimavit ex c. i. de sacra. unct. ext. unde & peritiores rerum gestarum scriptores Frisingensis, Sigisbertus, Urspergensis, Nauclerus & alii ejus ritus mentionem facientes, benedictionis appellatione eum nominare consueverunt.

Ut verò hi quibus post assumptam regni administratione unctio seu benedictio Papalis imparita esset, prærogativa quadam uterentur, tempore Caroli cognomento Crassi, libero procerum arbitrio, nullaque Pontificis autoritate intercedente, est introductum, ut ij speciosum Cæsaris nomen, & omnes antiquorum Augustorum titulos usurparent; qui verò ea carerent, Reges tantummodo vocarentur; differentia quæ nomine magis quam re constet. Cum & olim qui Imperatores dicebantur, Reges nihilominus nominarentur: & qui post hanc differentiam fuere Reges non consecrati, eadè potestate fuerint, qua Imperatores: quippe cum Imperialis potestas ex electione non unctio conferatur, communi Jureconsultorum sententiâ.

Sensisse id mihi rectissimè videtur cum alii oēs, qui titulo regio contenti consecrationem Pontificiam neglexere, tum verò

Hein-

*l. Bene à
Zenone. n.º.
19. C. de qua
dr. prescri-
pt.*

*Oxuph. Pã-
sim. in lib.
de comitis
Imp. cap. 5.*

*d. l. Bene à
Zenone, §
ibi Alberic.
num. 19.*

*b.
Dectus con-
sil. 194. lib.
1. Martinus
Laud. n.º*

tract. de
princi. not.
25. 10. And.
§ Dd. in
c. 1. de con-
stit.
Abbas Vr-
sperg. §
Cuspin. in
Vita Hein-
rici.

Heinricus cognomento Auceps : cui cum
Regi Romanorū designato, unctio à sum-
mo Pontifice, qui eo tempore Herigerus
erat, offerretur: *Satis (respondit) est me di-
vina annuente vestraq; pietate Regem dici:
tanto honore nos indignos arbitramur: sit penes
eos unctio qui meliores esse cupiunt: hac sumus
appellatione contenti.* Haud dubiè signifi-
care volens, se unctioe quæ præter specio-
sos titulos & sumptus inanes nil juris adfer-
ret, facile carere posse.

Ac si votis præterita emendari possent,
optandum esset complures Imperatores,
qui benedictionem Pontificiam receperūt,
eiusdem cum Heinrico sententiæ fuisse,
non tam Pontificia tyrannis adaueta, Ger-
mania tot vanis sumptibus vexata, deniq;
suo sanguine aliquoties repleta fuisset.
Quis etenim historiarum nō penitus igna-
rus, est, qui nesciat, magno civitatum ac
prædiorum Imperialium munere Impera-
tores oleum Pontificale mercari, aut Pon-
tifices pulsos sedi Barionæ restituere, aut
provincias vel urbes Ecclesiæ adversantes
subigere, denique omnes donationes in
præjudicium Imperii factas confirmare,
coactos fuisse.

Interea verò quæ expensæ vasallis aut
dominum comitantibus, aut pro feudi quã-
titate

titate stipendium militiæ solventibus faci-
endæ fuerint, cum nullo suo vel patriæ cō-
modo, nemo usq; adeò rerū imperitus est
qui non intelligat, Ac ut illa ferenda, digni-
tati Principum condonanda essent; quis nā
dissensiones, turbas, tumultus, clades deni-
que publicas unctiōnis occasione sæpius e-
xortas considerans, eam neglectam potius
quàm servatam fuisse nollet?

Cum etenim superbia Pontificum, qui
Imperatorum pia beneficentia ditati, au-
ctiq; potētia essent, indies crescente, illi cō-
tra institutū moremq; majorū, sub ritu seu
unctiōnis seu benedictionis, Imperatoriam
majestatem suo suffragio cōfirmare, eāq; sibi
fidelē & subditā videri vellēt, nec Romani
Principes præposterā Pontificū ambitionē
ferendā imperiive autoritatē projiciendam
esse censerēt, tantorum certaminū semina
sunt nata, ut Germania sæpius sanguine re-
dundans, cædibus magis, quàm oleo Cæ-
sares suos consecratos possit dicere.

Ejus verò mali (ut & suprā diximus) au-
tor fuit sceleratissim⁹ ille Monachus Papa
Hildebrādus: Nā cum is unctiōe in supremi
dominii jus falsissima interpretatiōe trans-
formata mundi Imperium à se pendere,
Imperatorem cum regibus precariò rege-
re, sibi utrumque gladium à Christo da-
tum impudentissimè jactitaret: ac per

*S. fin. de al-
lod. in usib.
feud.*

*Confirmati
onis initiū
ex unctio-
ne.*

*Cuspin. in
Vita Friede-
rici.*

*Arventinus
lib. 5.*

successores suos, Imperatorem Heinricum^m auctoritatem suam ac Imperii jura non tantum ense & armis, sed & scriptis eruditorum strenue defendentem, post tot praelia, quot à nullo unquam facta leguntur, in eas angustias, parricidiali filiorum conspiratione redegisset, ut Imperio se abdicare cogeretur, reliqui deinceps Pontifices, qui animos Imperatorum ob exemplum Heinrici remissiores perspicerent, in oēs fimbriæ Papalis extendendæ occasiones intenti, id quasi vere, ut si nō vi aperta ac manifesta, machinationib. tamen, dictis ac scriptis, quasi cuniculis quibusdam, Imperatorum majestatem imminutam convellerent, eosque suæ subjectionis jugo depressos tenere viderentur.

*Radevicis
lib. 3. ca. 10.*

Quare cum ab imperio Heinricorum Lotarius Saxo Imperator omni laude dignissimus, vel persuasione aliorum, vel superstitione adductus, coronam accipiendo sese ad pedes Pontificis abjecisset, Romanistæ ut in præjudicium aliorum Imperatorum id factum contorquerent, & ad posteros transmitterent, eo abunte in palatio Lateranensi picturam cum hujusmodi inscriptione posuerunt:

*Rex venit ante fores, juras prius urbis honores:
Post homo fit Pape: sumit quo dante coronam.*

Cate.

Cæterum cum aliquot annis interjectis Fridericus I. Romam venisset (ut opinor) coronæ causa, ei pictura per fideles Imperii monstrata summi opere displicuit. Nam *Papæ hominem* fieri, idem ei erat ac servum vel subditum. Quare amica objurgatione præcedente, cum Papa de scriptura & pictura tollenda agit, ita ut ipse postulatis Imperatoris subscriberet, ne tam vana res summis in orbe viris discordiæ materiam præbere posset. Verum cum Cæsar in Germaniam discessisset, Papa re cū suis deliberata, metuensq; hunc Imperatorem minimè ea ratione, qua Lotharium, sedi Pontificiæ subijci velle, statuit generosioris animi istius motus retundere, & monstrare eum revera suum subditum esse, & à se coronam ac dignitatem Imperialem accipere.

Naetus itaque suæ sententiæ declarandæ occasionem, ratione Lundonensis Archiepiscopi, quem captum ac rebus omnibus spoliatū, nescio quis in carcere detinere dicebatur, mittit ad eum superbam legationem, simulatq; se exostulare cū illo, quòd non liberet Episcopum ex captivitate: sed tamen interea, ea & literis & oratione legati effundit, quæ, qua ratione Imperatorem sibi subjectū esse velit, abundè testarentur. Nam & literis eum admonuit, ut præ ocu-

Radevicus
lib. 3. cap. 9.
§ 10.

Superba &
Thraſonica
legati Pon-
tificiſi ora-
tio. de qua
vide Aven-
nũ lib. 6.

Raledicus
ubi ſuprà.

lis haberet, ut inſigne Imperialis coronæ ab ipſo accepiffet; & ex lectione literarũ turba inter optimates regni exorta, legatorum aliquis dicere non dubitavit: *Romanum Imperium à Grecis tranſlatum eſt ad Alemannos, ut rex Teutonicorum, non antè quàm ab Apoſtolico coronaretur, Imperator vocaretur; ante conſecrationem rex, poſt Imperator. Unde igitur habet Imperium, niſi à Papa? Ex electione ſuorum principum habet nomen Regis, ex conſecratione Papæ habet nomen Imperatoris & Auguſti & Cæſaris. Ergo per Papam imperat. Recolite antiqua. Zacharias promovit Carolum, fecit ei nomen grande, ut eſſet Imperator: & ut poſthac perpetuò Rex Teuthonicus eſſet Imperator, & advocatus ſedis Apoſtolice ut Romano Epifcopo Apulia per eum pacata eſſet ſubiecta, quæ Papæ cum urbe Romana eſt, non Imperatoris. Roma Papæ ſedes eſt, Imperatoris eſt Aquis in Arduenna, quæ eſt ſylva Gallie. Imperator quod habet, totum habet à Papa. ſicut Zacharias tranſtulit Imperium à Grecis ad Teuthonicos, ita Papæ poteſtis ab Alemannis transferre ad Grecos. Ecce in poteſtate eius eſt, ut det illud cui vult, Propterea conſtitutus à Deo ſuper gentes & regna, ut ædificet & deſtruat, plantet & evellat. His verò auditis & Imperator debitam indignationem concepit, & omnes proceres*

tanta

tāta ira exarsere, ut Ottho de Vuittelspach-
 stricto ense, quem ante Imperatorem pro
 motū gerebat, in legatum irruerit, confos-
 surus nisi Imperator intercessisset: eas dein-
 ceptationes suscipiens, quib. hac vana ja-
 ctantia Papæ sese graviter offensum cōpro-
 baret. Nā & legatos ad sua habitacula dedu-
 ctos primo mane viam ingredi iussit, cum
 mādato, ne hac vel illac in terris Episcopo-
 rū seu Abbatū vagarentur. sed recta via, nec
 ad dextram, nec ad sinistram declinātes, ad
 Urbē reverterentur. Et ne quis aliquid præ-
 ter meritum ipsis accidisse putaret, vel inde
 aliquis motus oriretur, Cæsar cū procerib.
 literas per totum Imperium mittit, quib. rei
 gestę seriem exponens, de Imperii honore
 violato, gravissimè conqueritur, cū decla-
 ratione, *Per electionem Principū à solo Deo re-
 gnū & Imperiū esse. Quare quicunq; Impera-
 torē à Papa Imperiale coronam pro beneficio
 suscepisse diceret, hunc ut divine institutioni &
 doctrine Petri contrarium & mendacii reum
 damnandum esse.*

*Epistola est
 at apud Rē
 de vicum lo-
 co supra ab
 legato.*

Sic itaque vana Pontificis jactantia, vir-
 tute Imperatoris & magnanimitate proce-
 rum repressa, cōquievit. Donec quod Hein-
 rico filio Friderici defuncto, Germania no-
 vis motibus ob discordem electionem
 Otthonis IIII. & Philippi Imperatoris

implicata, Innocentius Tertius occasione illorum, quæ hæcenus dubia & controversa fuissent, ex animi sui libidine definendorum nactus, ea constituit, quibus Imperialis culminis majestas depressa, Pontificio examini subjiceretur. Siquidem cum à Constantinopolitano Imperatore, Patriarchæ urbis ejusdem, non eum qui sibi videretur, sedis honorem assignari, sed in sinistra parte scabelli pedum collocari intellexisset, arrogantius quam religiosius literis scriptis eum reprehendit, Regnum sacerdotio præesse asserens, & tantam inter Reges & Pontifices differentiam esse, quanta inter Solem & Lunam sit, Pontificatu Soli, regno Lunæ comparato, ut videre licet *c. Solite. De major. & obed.* Et Philippo Imperatore Germanico electo, quem ipse odisset, legatum suum, qui ejus ut periuri & persecutoris Ecclesiæ electionem reprobareret, in Germaniam misit: non sine Principum Imperii adversatione, qui à sede Apostolica falcem in alienam messem mitti, nec legato vel electoris, vel cognitoris vices competere dicerent. Pontifex itaq; hoc cognito, de tota re ad Bertholdum Zaringiæ Ducem, quem pecuniosum Philippo adversarium obtrudere conabatur, prolixè scribit: ac objectionibus Principum Pontificali autoritate dilutis,

Isidorus in glossa super Genesim, contrarium intellectum sequitur, de quo vide Io hannē Parrisiū de potestate regia & Papali, art. (ni fallor) 12.

c. venerabilem. de elect. pot.

lutis, jus ac potestatem eligendi Regem ad Electores, autoritatem verò examinandi personam electã ad se pertinere dicit, *quòd jus examinatio & approbatio, cuius unctio & consecratio sit.*

Ea itaq; Pontificis sententia quamvis vel jure vel consensu procerum Imperii nullo approbata, quippe ad concitandos Philippo Imperatori hostes Bertholdo Zaringia Ducis, arte qua potuit exposita: tamen à Petro Beneventano subdiacono Innocentii compilationi Decretalium inserta, ac à Pontificæ tyrannidis adulatoribus scholis illata, & discipulis pro vera obtrusa, præeminentiam Papalem, & Pontificæ confirmationis petendæ morem constabilivit, conjunctum non solum cum insigni Imperii diminutione, sed & multorum præstantissimorum Principum gravissimis injuriis.

Quorum etenim Imperatorum confirmatio post hæc tempora facta legitur, quæ, dum præfecturæ, urbes, Ducatus ac regiones Italiae Imperatoribus adhuc parentes superessent, non insigni aliquo istorum munere redimenda fuerit? Hinc etenim ple-
ræq; Imperatorum, justæ liberalitatis modum excedentes donationes: quæ in Pontificiis libris cõmemorantur, fluxere. Nam
& Otthoni, Philippo reprobato, Innocẽ-

*c. 1. de Jure-
jur.*

*Naucler. ge-
nerat. 41.*

*Abbas Vr-
sperg.*

*Paratipom.
Vrsperg.*

*Id Maximi-
lianus Im-
perator
Principibus
aperuit an-
no M.D.XI.
ut in Gra-
vaminibus
refertur.*

tius imperium ideo ratum firmumque esse
jussit, quod ducatum Hetruriæ quem alter
invaserat, recuperatum Ecclesiæ donaret;
& Fridericus de bonis & prædiis Imperii in
Italia sitis tam multa Ecclesiæ Petri non a-
lia de causa contulisse refertur, quam ut
Honorii Papæ Friderici familiæ infestissimi,
confirmationem minimè Imperatoriæ ma-
jestati necessariam eliceret. Et qui huic
post longam Imperii vacationem & civilia
bella successit Rodolphus Habsburgicus,
quamvis diadematis Imperialis accipien-
di gratia Italiam adire refugerit, quòd Cæ-
sarum in Italiam vestigia læta, magnifica-
plenaq; spei; ex Italia verò referentia, tristia,
misera, luctuosaque esse diceret, cum reci-
tatione apologi Aesopici de vulpe & leo-
ne; tamen Gregorio x. electionem ipsius ra-
tam habenti, Bononiam, præfecturas atque
ducatus hæctenus Imperio parentes, quæ
quotannis millia drachmarum septingenti-
es pensitarent, concessit; ea tamen lege ad-
jecta, ut ista pecunia ad expeditionem Palæ-
stinam, & ad Græcos Ecclesiæ Romanæ su-
bigendos uteretur.

Mox verò cum exuviis Imperii ornati,
& erronea opinione autoritatis Cæsaris cō-
firmandi rejiciendive muniti essent, in tã
tyrannicum fastum se erexerunt, ut opti-
mum

mum ac præstantissimum quemque non sal-
 tem approbatione seu confirmatione sua
 dedignarentur, sed & cõviciis ac opprobriis
 nefandis superbissimè notatum reprobarèt.
 Non hie eius demonstrandi causa comme-
 moro, quibus injuriis Innocentius III. Phi-
 lippum in sua decretali oneravit, ei contra
 divinę scripturę mandata impropereans quę
 frater & parentes peregerint; nec quàm
 Thraſonicè jactitavit, se aut Philippo diade-
 ma regium, aut ipsum sibi insigne Aposto-
 licum ablaturum, quòd quæ Apostolico
 in hostes libeant, ea quoque licita ei putē-
 tur. Illa verò generosissimorum Austriæ
 Ducum, Alberti nimirum & Friderici, non
 malè de Ecclesia Romana meritorum su-
 perbissima reprobatio, minimè injuriæ in-
 signis expers haberi poterit.

*d.c. Venera-
bilem.*

*Abbas Vr-
sperg.
Nasscl. gene-
rat. 40.*

Nam cum Albertus patris Rodulphi e-
 xemplo electionis suæ confirmationem à
 Bonifacio octavo, qui se totius Mundi do-
 minum jactitabat, per oratores peteret: is
 ense accinctus, coronaq; Imperatoria orna-
 tus, in publicum prodiens, tyrannica voce
 exclamavit: *Ego sum Cesar & Pontifex:* indi-
 gnabundus electionem, quæ sine sua auto-
 ritate facta esset, ut nullam & frivolam re-
 jiciens, & cõfirmationem recusans ipsum
 cõtumelioso opprobrio *Homicidam* appel-

*Paralib. Vr-
sperg. Cis-
spiniatus
in vita
Alb. Nass-
cleris gene-
rat. 44.*

litavit. Hæccine, ô Petre, digna tuo successore? vel tuo vicario salutifer Christe? vel toleranda in servo servorum tuorum?

Insignis quidem hæc Bonifacii arrogancia in reprobando Principe clarissimo: sed non minor ea, quam Fridericus ejusdem familiæ Princeps, aliquot deinceps interjectis annis à Johanne xxii. pertulit. Hic si quidem Cunrado Gurcensi Episcopo ab Austriacis ad se misso, ut Ludovico Bavaro in ordinem redacto, Friderici Imperium ratum esse decerneret, petenti, & avos atavosq; Friderici collaudanti, ac fortes fortibus atq; bonis procreari, & in jumentis atque equis esse patrû virtutem, nec imbellẽ columbam feris aquilis progenerari, multis commemoranti, respondisse fertur; *Salomonem omnium mortalium haud dubiè sapientissimum, filium tamen stolidissimũ genuisse, scommate, quod ut Fridericum à majoribus degenerare latenter innueret, sic Pontificem nihil minus quàm virtuti prædecessoris Petri respondere clarè ostenderet.*

Hoc ergo jure approbandi rejiciendive Cæsares, post extortas Episcoporum investituras aucti, cupiditate inexplebili opprimendæ dignitatis Cæsareæ ac fimbriæ Pontificalis extendendæ, æstuentes, ad alia mox
animum

*Avontinus
lib. 7.*

animum converterunt. Nam (ut dicitur, *nō
missura cutem, nisi plena cruoris hirudo*). Qua-
re ut in omnium, quæ per fas ac nefas Impe-
rotoribus ademissent, secura possessione
manerent, de Imperatoribus fidelitatis ju-
ramento obstringendis cogitarunt: gnari,
quæ fides, ac quanta religionis observantia
in nostris Principibus esset. Etsi enim & ju-
ramenti à Ludovico Pio, & Otthone Primo
præstiti formulæ ipsorum libris insertæ ef-
sent, & pro ipsorum intentione allegaren-
tur, tamen cum (ut antè diximus) eæ tales
essent, quæ fide carerent, nec quam ipsi vo-
lebant fidelitatis probationem evincerent,
id tentandum duxere, ut quacunq; ratione
voti sui compotes redderentur.

Cum itaq; Henricus ejus nominis septi-
mus, post Albertum Cæsar designatus, ad
res Italicas, partim Pontificum ambitione,
partim intestinis dissensionibus, denique
sexagenaria nostrorum Imperatorum ab-
sentia turbatas animum adjecisset, ac mul-
torum populorum dissensione sublata, Ro-
mam usque uenisset, motus à Roberto Sici-
liæ rege excitatos compressurus; Clemens
v. qui tum Avinione degeret, & Roberto tã-
quam Ecclesiæ vasallo faveret, utrique sub
juramento fidelitatis, qua Ecclesiæ tenerẽ-
tur, per literas pacem imperavit. Henrici-

*Nauclorua
gener. 44.*

*c. 1. de Turc-
119. in Cleme*

cus itaque, qui novi exempli rem esse, nec usurpatam antecessorum suorum ætate videret, Principem principum, ac orbis terrarum dominum Servo servorum fidelitatis juramento teneri: requisitis tabellionibus, & accersita hominum multitudine copiosa, respondit, *Quod nunquam juramentum præstiterit, nec eo cuiquam obligari velit*, nihilominus Columnensium fidei opera à Cardinalibus, ad id missis coronam accipiens. Cæterum Heinrico paulò post scelere Bernhardi Dominicanus, ipsi hostiam toxico oblitam porrigentis, extincto, Clemens qui contradictore careret, ut in posterum Imperatores Pontificibus ad fidelitatem jurandam promptiores efficeret, quid eo juramento contineatur, demonstrat, nimirum, ut *Cæsar Ecclesiam Romanam defendat, hæreticos exterminet, neque cum impiis ullum commercium habeat, ut Pontificum dignitatem modis omnibus tueatur, ut privilegia quondam Ecclesie Romanæ concessa quocumque tempore conservet, in primis ea quæ profecta sunt à Constantino, Carolo Magno, Heinrico, Otthone IIII. Friderico Secundo, Rodulpho; ac quid juris in illas Ecclesie Romanæ facultates atque possessiones quocumque titulo sibi vendicet, ut reliquas etiam ubi vis Ecclesias, earumque libertatem ac jura protegat, &c.* Et ut certior

certior ejus rei noticia extaret, rescriptum id in concilio Viennensi conceptum inter decretales referri curat, quæ à nomine ipsius Clementinæ dicuntur, sub Tit, *de Jurejure*.

Cæterum aliquot elapsis annis, cum rerum potiretur Ludovicus IIII. & Johannis XXII. (qui cum Imperatore acerrimas contentiones habuerat) successor Benedictus XII. non tantum odium in innocentem continuaret, sed & diris devotum Ducatu Bavariæ, omniq; honore regio sententiis privaret; Imperator Francofurti solenni conventu indicto, in quo præter Imperii proceres, & Angliæ rex nihil imperio debens adfuit; ea publico procerum & omnium ordinum consensu pro Imperialis dignitatis assertione statuit, quibus omnia ferè superiora Pontificum acta atque decreta ad nihilum redigerentur. Inter alia verò, *Quòd electus à principib. aut à majori & saniore parte, administrationem habeat, citra assensum Pontificis.* Nam ea quæ præter hæc introducta sunt, nec divino jure, nec ulla patrum ordinatione, sed blanda quorundam assentatione & spontanea ingestione Romanorum Pontificum provenerint. Electus insinuetur Romano Pontifici, quòd sit Princeps Catholicus, justus: petaturque coronatio, quæ (nisi obstiterit manifesta causa) si negetur, sumatur consecratio

*Verba Alberti
Krätz, lib.
9 Sax. cap.
15.*

à quovis Catholico Pontifice. Nam omnes illæ solennitates per Ecclesiam introductæ fuerunt. Quis enim Romanus Pontifex cōsecravit Constantinopolitanos Imperatores? & quis ante Carolum multos Christianos Cæsares? & ante Constantinum quis consecravit Ethnicos Imperatores? Deinde ordinatum est, quod Imperator præstabit Pontifici & Ecclesiæ devotionis & humilitatis, non fidelitatis, homagii, aut subjectionis juramentum; quia temporalis domini Papa Imperatori nihil tribuit, imò Ecclesia omnia illa q̄ habet sumpsit ab Imperio. Gladius enim uterque nihil habet invicē commune; cum alter animam, alter corpus solū conficiat. Ibiq; decreto firmatum est, *quòd Papa vacantis Imperii administrationem habeat*, nulla scriptura, nulla ratio, sed sola usurpatio introduxit. Hæc tum Principib. in cœtum Imperii congregatis visa fuere in rē Christianam observanda. Hactenus Kran-tius. Nec verò hisce decretis Ludovicus cō-tentus, etiam constitutionem (ut Albericus Rosates refert) edidit, qua, qui Imperator ē electum confirmatione Pontificia indigere, ac Imperium à Papa pendere dicerent, læsæ majestatis reos, & omnibus feudis ac privilegiis, quæ ab Imperio haberent, ipso facto & jure privatos esse sanxit. Quæ utinā
invto.

inviolabiliter ad hæc usque tempora obser-
vata fuisset, non ea quæ jam ex Pontificiæ
autoritatis defensione, animorum disiun-
ctio ac alienatio conspicitur, maxima cum
Imperii jactura enata fuisset; nec plerique
Pontificis quàm Imperialis majestatis di-
gnitati addictiores esse invenirentur. Ve-
rum ab hac ingrata & intempesta quere-
la abstinentes, Imperatorem jure optimo
autoritatem suam gravissima constitutio-
ne à Pontificæ confirmationis autoritate
asserentem, & evanida Pontificum
rescripta obterentem, audia-

MUS.

CON.



CONSTITUTIO DOMINI LUDOVICI IIII. IMPERATORIS RELATA, & de verbo ad verbum posita apud Albericum de Rosate l. Bene à Zenone.

C. de quad. præsc.



LICET jura utriusq; Testamenti manifestè declarent, Imperialem dignitatem & potestatem immediate in filio Dei ab antiquo processisse, & Deum per Imperatorem & Reges mundi jura humano generi aperte tribuisse, & quòd Imperator ex sola electione eorū ad quos pertinet, verus efficitur Imperator: nec alicujus alterius eget confirmatione, seu approbatione, quoniam in temporalibus non habet superiorem in terris, sed eidem subsunt nationes, & ipse Dominus noster Jesus Christus mandaverit, quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cesaris Cesari reddenda. Quia tamen quidam avaricie & ambitionis cecitate devicti, & nullius scripturæ intelligentiam se habere dicentes, sed divertentes à tramite recti sensus, in quædam iniqua & prava commenta, & in assertiones detestabiles prorumpunt, contra potestatem & auctoritatem Imperialem, & jura Imperatorum, Electorum, & aliorum Principum & fidelium committentes, fallaciter asserentes, quòd Imperialis dignitas & potestas est à Papa, & quòd electus

electus in Imperatorē non est verus Imperator
 nec Rex, nisi prius per Papam sive sedem Apo-
 stolicam confirmetur, approbetur, & coronetur;
 & per huiusmodi pravas assertiones, & pestifera
 dogmata, hostis antiquus movet lites, & iurgia
 suscitatur, contentiones parit, & seditiones pro-
 curat: Ideo ad tantum malum evitandum, de
 consilio & consensu Electorum & aliorū Prin-
 cipū Imperii declaramus, q̄ Imperialis digni-
 tas & potestas est immediate à solo Deo, & quod
 de jure, & Imperii consuetudine approbata,
 postquam aliquis eligitur in Imperatorem sive
 Regem ab Electoribus Imperii concorditer, vel
 majori parte eorundem, statim ex sola electione
 est verus Rex, & Imperator Romanorum cen-
 sendus & nominandus: & eidem debet ab o-
 mnibus Imperio subjectis obediri, & administrā-
 di jura Imperii & cetera faciendi quae ad Impe-
 ratorem verum pertinent, habet plenariam po-
 testatem: nec Papae sive Apostolicae sedis, aut a-
 licujus alterius approbatione, confirmatione,
 autoritate indiget, vel consensu. Et hac in per-
 petuum valitura lege decernimus, ut electus
 in Imperatorem concorditer, vel à majori
 parte Electorum, ex sola electione censeatur &
 habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Im-
 peratore: & eidem ab omnibus subjectis Impe-
 rio debeat obediri, & administrationem & ju-
 risdictionē Imperialem, & Imperialis potesta-
 tio

in plenitudinem habeat, & habere ac obtine-
 re ab omnibus censeatur, & firmiter asseratur.
 Quicumq; autem contra hæc declarata, decreta
 vel definita, aut aliquid eorum, asserere seu di-
 cere, aut asserentibus seu dicentibus consentire,
 vel eorum mandatis, vel literis, vel præceptis
 obedire præsumpserint, eos omnibus feudis quæ
 ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, Juris-
 dictionibus privilegiis & immunitatibus à no-
 bis, vel prædecessoribus nostris eis concessis, ex
 nunc privamus, & ipso iure & facto decernimus
 esse privatos. Insuper eos crimen læsæ majesta-
 tis decernimus incurrisse, & pænis omnib. cri-
 men læsæ majestatis committentibus subiacere.
 Datum in Coloniensi civitate Alemanniæ.

Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua
 Præsul,
 Ut Christus jussit Petro solvente tri-
 butum.

F I N I S.

ine-
tur.
reta
di-
ire,
ptis
qua
rif-
no-
ex
nus
sta-
cri-
ere.

sua
tri-

7

TK 2110

ULB Halle

3

004 761 383



VD 77

ML





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres


KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



coll
det
duc
per
ejn
cid
nar
nur
quo
vix
nit
sta
ma
div

est
mis
legi
pro
ac
vel
sit
tign
dar
dei
gus
ris
tan
phu

